

PETREIDOS

LIBRI XXIV.



ANTONII MIRABELLI

SANCTAE NEAPOLITANAE ECCLESIAE

PRESBYTERI.

VOL. IV.

NEAPOLI
EX TYPIS AGRELLIANIS
MDCCCLIX.

PETREIDOS

LIBER XIX.

ARGUMENTUM

Vaticanam vallem ingreditur vates — Ea quae prata Mutia et Quintia olim fuerunt, deserta loca, et crebris febribus insalubria, exhaustis paludibus, in voluptuariam sedem commutaverat Nero, consitis hortis amoenissimis, et Circo extructo — Eaque nunc abolendo Christiano nomini destinata, Christianae caedis martyrio primum celebrantur — E crypta arenaria egressus Petrus, Plautillae domicilium petit; Petronillam natam, gloriosissimi spe martyrii, hortatur — Missis deinde suis adjutoribus Cleto ad Narcissi, Lino ad Lucinae aedes, ut christianos in verae fidei confessione confirmarent, ipse ad majorem Romae Ecclesiam contendit — Ibi cum Pudente et Paulo confertissimum athletarum agmen reperit — Qui pro Christo vitam cum sanguine profundere parati, victoriae praerogativam, pontificalem benedictionem expectabant — Rem divinam facit Senior, jamque humano augustior visu, se pro christiana religione devoventes divino reficit convivio — Sacra, ne per scelus, et latrocinium pollucrentur, Torpetis domo absconduntur in ipsa neroniana aula — Demum ut eodem sese in tuto reciperet ipse Christianae rei Arbiter, cunctis orantibus, abnuit Petrus, ibique fore profitetur, quo rerum summa vocaret — Jamque praesentissimo BB. Virginis patrocinio

implorato, uti militibus ducique propitia adsit, ex aede sacra egrediuntur — Interea Satanas, allato Senatus consulti nuncio ad inferos, novaque spe imperii reciperandi facta, ferocissimos quosque ad vaticanam vallem educit, uti Christianae caedis spectaculo exultarent, Deo sic volente, ut humanae libertatis virtus singulari periculo tentata melius eluceret — Ea prima fuit insectatio, quae simul Romae, perque universum orbem contra Christianos erupit — Jamque condicto die, propositis libellis, perque praecones, solemnium ludorum editio in Vaticano Circo, et Christianorum supplicium nunciatur — Ad primum tubae signum exultant Christiani, et paratis adsunt animis — Recta prima cohors ad Plautillae aedes contendit, ubi per Hebraeos exploratores Eunen latuisse resciverat — Ad aras orantes Petronillam et Plautillam deprehendunt, solemnioribus vestibus ornatas — Quae in medio comprehensae, animi et spei plenae incedunt, non sine militum admiratione —Coetu propinquante, non esse in comitatu Eunen intelligit Caesar — Multaque sciscitatus, Eunen aufugisse novit, Petronillam, Petri filiam, christianam sibi adesse — De Petro, deque Eune cum nullum daretur responsum, cumque audacter et libere christianam rem profiterentur, lictori ambas dedidit Caesar — Filiam suo sanguine purpuratam vidit e Janiculo Petrus, et illacrymans D. O. M. gratias agit — Sed altera militum manus Pudentis aedes circumdederat, ubi Praxede, et Pudentiana virginibus in tuto collocatis, Timotheum, et Novatum comprehendunt — Qui christianam doctrinam liberrime professi, cumque oblatas Patri criminationes depellerent, Patrem ipsum in medio prosilientem viderunt — Pudens, Summi Pontificis tutelae filiabus commendatis, christianae fidei nomini fore gloriosius putans, si senatorio sanguine consignaretur, se ipse Neroni obtulit, et pro veritate fidei oravit — Jamque neroniano comitatu, et populo audaciam admirante, Pater et filii militari cuneo opprimuntur — Subit Herodion e Narcissi aedibus abreptus, qui objectum de Roma incensa crimen diluit, Christianam disciplinam collaudat, mori jussus, pro Roma precibus Deo oblatis, constanti animo martyrium perfert — Exinde Proculus, pincerna in medio sistitur ex aula profugus — Qui, ex aulico munere abiisse, ne Christiana fide desisceret, testatus, carnifici collum sua sponte obtulit — Sed gravissime stomachatur Caesar, ubi Torpetem et Evellium imperatorii stabuli praefectos vidit — Qui domi conditis sacris caeremoniis, Neroniana decreta discerpserant — Praetoria cohorte deprehensi inque Circum delati crudelissime necantur — Sed praecipua emicuit laude castimonia virginalis Basilissae, et Anastaseos, quae certis auctoribus indicatae Christianam fidem strenue defendunt, neronianam immanitatem vehementer ob-

jurgant, et mortem constantissime obeunt — Magna fuit romanarum matrum pietas, et admiratio, quarum pleraeque circensem arenam reliquerunt — Vesperascente caelo, cum Seniorum agmen e Janiculo descenderet, Romulidae eos vivos comburendos conclamant — Stimulos addunt animis Satanas, et stygii comites — Qui de summa re decernendum putantes taedas et faces inflammant — Pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammis septi, ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur — Utque miseratio oriebatur, Nero Circense ludicrum edidit — Sed si Christiani patientissime omnia tolerabant, romani ingenii feritas non obdormiit — Senatu dimisso, Thraseae quaestor consulis mortis arbitrium nunciavit — Qui conjugem Ariae matris exemplum sequi tentantem monuit, ut vitam retineret in communis filiae subsidium — Porrectisque utriusque brachii venis Silanum vocat, eumque, ut constantibus exemplis animum firmaret, hortatur — Sed, Thrasea mortuo, Silanus, nequicquam amicis obstantibus, Vaticanum petit, et Neronem in curru ipso aggreditur — Unde praeceps dejectus, et comprehensus, cum multis conjurasse ait, ut immani monstro orbem terrarum liberarent — Inopinus terror omnes invadit — Ipse Nero fugientium impetu raptus, Senatusque omnis elabitur — Sed et Stygii comites nefastam vallem deserere satagunt, ubi densam Angelorum aciem e caelo venientem suspiciunt — Qui animabus Martyrum in medio exceptis, purpurata sanguine corpora primum consalutant — Deinde conscia caedis loca triplici decursione, et sacris carminibus lustrant; demum vaticani montis possessionem capiunt — Eumque, divino oraculo, Romano pontifici assignant sedem — Interea sub mediam noctem, per vallem selectissimi Christiani dispescuntur, ut sancta corpora tumularent — Eaque per tenebras, flammarum indiciis, innotuere — In Lucinae aedibus loculis affabre factis sepeliuntur, suis quaeque ornamentis decorata — Summus Pontifex SS. Martyribus se, et Romanam Ecclesiam commendat — Eodemque tempore caeleste Epinicium per aera resonare auditum — Martyrum animae, Caelestium acie circumeunte, in caelum evolabant — Sed Christianorum insectatio per universum imperium propagatur — In superiori Italia, Mediolani Barnabas, Ravennae Apollinaris internecantur — In Gallia, Massiliae Lazarus, Aquis Sextiis Maximinus — In Hispania quamplurimi; In Syria, Antiochiae Evodius, Patris Andreas, vario mortis genere occidunt.

At me Janiculum, Vaticanique patentes
Compellant campi: dicam bella horrida, dicam
Funera Christiadûm, et ferro flammaque cadentem
Progeniem, et totam fluitantem sanguine vallem.
His quondam praeculta locis jam prata virebant
Mucia [1], bellipotens ubi dux Porsenna jubebat
Tarquinium ejectum recipi, infestaque premebat
Obsidione urbem. Juvenis Romanus acernum
Transiluit vallum, et districto protinus ense
Ibat in hetruscum regem, sed dextra fefellit;
Circumdant armatae acies, prensusque repente est.
Rex minitabundus truculenta morte necari
Imperat: ille autem perferre extrema paratus:
Fortia romanum est facere, atque pati: aspice, dixit,
Quam vile est corpus, qui magnae laudis honorem
Quaerimus. Adstabant sacris altaribus ignes,
Contemptor vitae juvenis, spectante tyranno,
Peccantem dextram medio combussit in aestu.
Porsenna in patriam rediit: tum jugera campi
Mucius obtinuit dono, quae liquerat hostis.
Omina firmârant praesago carmine vates,
Et vaticanae dederunt cognomina terrae.

Nec procul hinc cernis, quae Quintia [2] rura vocantur.
Trans Tiberim cerealis agri vix pauca colebat
Rura gravis senior, curaeque vacabat agresti.
Legati, dicta acceptaque salute, tulerunt
Jussa patrum, quibus ingenti discrimine rerum
Ipse legebatur dictator maximus urbis:
Casurae ille salus patriae fuit, hostibus horror.
At deserta diu regio vix prisca locorum
Nomina servabat. Qua se subducere colles
Incipiunt, stagnis torpentibus unda coacta
Haerebat: putri squalebant aere campi;
Atque inamoena palus limosa creverat ulva
Febribus infamis. Caelum insanabile, vallem
Pestiferam celsi fugiunt habitare Quirites.
At Nero cui nulla incoeptis audacibus obstat
Segnities, primum magnam exhaurire paludem
Aggreditur, latumque videns pinguescere campum,
Arboribus sylvam densis, laetumque viretum
Floribus omnigenis sevit, latisque viarum
Injectis spatiis viridi summota recessu
Otia constituit; mox curva per atria Circum
Extruit ingentem, quo primum, valle reducta,
Solus quadrupedes properis agitavit habenis;
Publica mox Romae sua fecit munera: ludos
Circenses spectat populus, spectatque senatus.
O tristes campi, o infelicissima vallis,
Quam sceleris faciem! poenarum quanta videbis
Crimina! quot lacrymis, quanto saturabere luctu
Christicolûm! lapidesque bibent glebaeque cruorem
Innocuum. Nempe hic caelestia germina florum
Praeterita erupere hyeme, et tellure subacta.

Debueras sacro respergi sanguine prima,
Pontificum qua prima domus, qua mole superba
Templum ingens surgat cunctos venerabile in annos.
His nevit campis veniens ex aethere Sponsus
Purpuream chlamydem; hic rubro bis murice tinxit:
Regalique decus sponsae donavit habendam,
Flammeolo ut splendens roseo taedaque jugali,
Caelestes ingressa toros, dignissima Sponso,
Aeternos sancto celebraret foedere amores.
Non ego vos, campi, dignatos munere tanto
Appellem tristes! ego non te, vallis, amica
Caelicolis vallis, supero acceptissima regi,
Infortunatam appellem! Vos carmine sancto
Felices campos dicam vallemque beatam,
Quae primum aspêxti sanctarum abscondita rerum
Sanguine consignata sacro, quo praelia prima
Pectora Christiadûm fortissima conseruere.
At non Pontificem potis est vis ulla tenere.
Ex quo funerei decreta ingentia luctus
Audit, primitiae rerum bellique propinqui
Prima rudimenta huc illuc per plurima versant.
Jamque specu egrediens, primisque cadentibus umbris
Corda parat comitum, et sacrae capit omina pugnae.
Aedes perlustrat varias, primumque paternus
Nunquam segnis amor Plautillae ad limina ducit.
Et natam hortatur: Quidnam, Petronilla, volutas,
Ethnica si rabies violentior arma minetur
Impia Christigenis? petit Ille, et Filia contra:
Anquiram pulchram Christi pro nomine mortem.
At Senior tantis exultans vocibus: O me
Felicem! Natae patrio si lumine testis

Adfuero, et sancta frontem insignire corona
Conspiciam! At propior quando sors imminet, Ipsa
Caelestem Sponsum votis ardentibus ora,
Ut meritum infundat robur, pactamque per aras
Ipsa fidem sponde nec saeva fallere morte.
Plautillam non multa rogat, virtute cluentem
Antiqua; tamen ad sacrum certamen ituras
Divinis epulis, et sancto corpore firmat:
Ollis partheniae tradit tum sagmina vestis,
Quae tulerat secum submoti orientis ab ora:
Et sanctum, dixit, componite pectore donum,
Securae auspicium fidei, certique vigoris.
Et calidas adhibete preces, Matremque vocate,
Quae porro ingenti nunquam discrimine deerit.
Inde graves addit monitus, placidosque calenti
Respergens oculos fletu Natamque piamque
Linquit Matronam, atque alio vestigia flectit.
Dum Cletus, mandante ipso, ad Capitolia sedem
Narcissi quaerit; clivos dum scandit opacos
Janiculi Linus, et sanctis hortatibus implent
Christiadûm mentes; recta ipse ad celsa Pudentis
Limina contendit, qua Romae Ecclesia major,
Et qua Tarsensis lectum collegerat agmen.
Filia sic Jephtes [3], patris ipsius ore, propinquae
Certa necis, vanos nec frustra effundere questus
Visa, nec immitis votum damnare parentis:
At sortis contenta suae, interjecta morarum
Per spatia, oratum tranquilla silentia quaerit,
Hostia nobilior sanctas ut staret ad oras.
In sanctum nomen mortalem effundere vitam
Omnes optabant, veniam si forte dedisset

Christiadûm Rex; ipse aderat coetumque paratum
Conspicit, et supera aspectans convexa precatur:
At tu, ne quisquam ex istis [4], quos, Maxime Pastor,
Commendâsti agnos, caulis patiare relictis
Devius excedat. Sanctas tum gressus ad aras,
Rem facit augustam Senior, sacrisque litatis:
Huc agite, o fratres, patremque audite monentem.
At vobis stat tantus amor, stat tanta cupido
Pro templis arisque pium fudisse cruorem?
Omnes hoc petimus: magnus ferit aethera clamor.
Si cui mens nutat, neque tanta potentia cordi
Carnifices spectâsse feros, jam tuta reposcat
Effugia; haud liceat tantum petere ultro periclum [5].
Ast omnes: Patrem praeeuntem sponte sequemur,
Exclamant. Sancto Senior tum saucius igne:
Atque Ego Pontificis summi quo munere fungor,
Pro Christo fortes animas, et honesta voventes
Corpora suscipiam, votosque ad bella sacrabo.
Haec divina dabunt justas convivia vires.
Sic ait ille: prior procumbit cernuus ipse
Tarsensis, dextraque capit caelestia supplex
Pabula: deinde Pudens tanto gavisus honore:
Succedit pars lecta gregis, lectique ministri.
Tum Senior sequitur: Fidei impenetrabile robur
Induti, in densas acies, ensesque paratos
Ibimus: anne tuo nos quidquam abducet amore,
Christe Pater? nostris jamque ipse allabere coeptis,
Ipse jubar laetis da mentibus, ipse ministra
Eloquium, ipse feros Erebi da temnere nisus.
Spectent Romulidae liberrima pectora mortem
Oppetere, ut vitae potiamur dona beatae,

Spemque novam caeli, ipsius discrimine lethi,
Christiadûm videant radianti effulgere vultu.
Et mox pro Romae populo, pro Caesare cunctos
Orare hortatur: Romana palatia diram
Intentant mortem, properatque ignobile vulgus
Funere Christiadûm indignos attollere plausus:
Hostibus iratum votivo carmine caelum
Christiadae mollire parant, veniamque precantur.
At tu, Paule, meas, si rerum summa potestas
Indigeat, gerito ipse vices; Petrus alter adesto.
Tum vero sancta divina volumina ab aede
Divinasque dapes, ne forsan barbarus hostis
Incurrens ausit dextra temerare profana,
Imperat auferri. Viduata altaria cultu
Christiadae ingenti gemitu, luctuque tuentur.
Quo tamen improbitas truculentior ultima tentat,
Quo cladis graviora vident ostenta futurae,
Ardent Christiadae majora exolvere Christo
Obsequia, et claris virtutem ostendere factis.
Talibus expletis: Et jam mora nulla; paratam
Ipse viam praeco: complebit cetera Jesus,
Petrus ait, fulgens insueto lumine: nunquam
Majestate alias tanta videre nitentem
Attoniti comites, animosque ad sidera tollunt.
Credas festivae magna ad spectacula pompae,
Magnanimum prodire ducem, post horrida martis
Praelia, cui lectas ridens victoria lauros
Messuit; insignem sese monstrare per urbem
Victor ovat, sociaeque acies graviore periclo
Perfunctae, fremitus inter plaususque secundos
Accipiunt meriti praeconia justa triumphi.

At Paulus, surgitque Pudens, propiusque Parentem
Circumdant, lacrymisque orant: Tibi consule, Pastor;
Non aequum est primum campo se credere aperto
Ductorem. In primis Paulus: Me tempore certo
Omnipotens nempe regione remisit ibera:
Tutius ipse queam tanta in certamina mitti.
Te capite absumpto, Stygis inclementia oberrat
Saevior: occiduis quid si glomerata repente
Exierit campis, eoaque regna capessat
Tempestas? quinam summa speculator ab arce
Dux aderit, lectasque acies propiore periclo
Dirigat? Est nota praestans virtute juventus,
Quam Christi nulla amplexu vis abstrahet usquam,
Atque omnes audet casus tolerare sinistros.
Exime praestantes, qui nobis jussa reportent
Militibus mandata ducis. Jamque agmine Torpes
Prodiit e medio et Patri sese obtulit ultro:
At quae nunc animo, Pastor, sententia surgit,
Percipe. Sepositae mihi ad ipsa palatia sedes.
Dum nos in medios rapiet sors sancta labores,
Fac lateas illic. Si tota ab Caesare facta haec
Tempestas, terrorem inter, tristesque dolores,
Ecquisnam, media lateat quod Petrus in aula,
Fingere mente queat? Placuit sententia cunctis:
Atque Pudens: Quod certa fides porro augurat, eja
Perfice: romanae debetur certius urbis
Imperium Christo. Quas praebuit aula, latebrae
Teque et sacra tegant: oracula sancta capessant
Illinc delecti juvenes, et fortibus ausis
Magnum calcar erunt supremi dicta parentis.
Interea tacitus supremo tempore Pastor

Sermones varios neque frustra oblata recenset,
Et jam: Cedo libens, inquit: sacra pignora, Torpes,
Transtulero, quo tuta loco Deus admonet auctor:
Ipse, vocet quocumque Deus praesentior, ibo.
At non ante sacra potero discedere ab aede,
Quam te, Diviparens, suprema hac alloquar hora.
Scis, Mater, scis ipsa meae quae vota cadentis
Canitiae: invitus mortales demoror annos,
Nec terris hanc, oro, diu producere vitam.
At precor hoc unum: gradientem in praelia prima
Hanc sobolem ingenti, Mater, tege numine: Nati
Crescat honos nomenque tui: pugnantibus esto
Praesidium, rebusque animos ingentibus adde.

Parte alia belli molimina dira parantur.
Omnes infensa Aulicolae, praeeunte Nerone,
Laetitia infremuere: juvat firmare labantis
Saucia fulcra throni: Romae juvat edere magnum
Justitiae exemplum, et cunctas percellere terras
Supplicii specie, quae formidabile nomen
Caesaris efficeret, stirpemque everteret ausam
Urbem orbis dominam subjectis urere flammis.
Ex quo primigenas vetiti dulcedine fructus
Pellexit, nusquam similem retulisse triumphum
Exiluit Satanas; terris abolescere gentes
Usque adeo invisas; opus admirabile Christi,
Invita Styge perfectum, nunc funere in uno
Procidere, infernis cessurum juribus orbem.
Talia servili ut vidit decreta senatu,
Laetifico increpuit juga per septena fremore,
Et mox taenarium praeceps descendit in antrum,
Ambitione nova, tantisque ferocior orsis,

Atque acheronthaeas festo clamore cavernas
Complevit. Capita hinc regni rapit ardua secum,
Ad vaticanam vallem, spectare cruentam
Exacuens caedem, atque iras saturare vetustas.
Et jam per superas errare licentius auras
Lethiferas pestes rupto ex Acheronte refusas
Concessit Deus ipse. Sacrum cognomen adeptam
Pollicitus Romam toto dominam orbe futuram,
Ipse Deus voluit primi in discrimina belli
Insignem virtute sua prodire, suoque
Pugnantem merito terris ostendere lucis
Insuetae specimen, caelo et se fingere dignam.
Obductae erumpunt stygia caligine pestes,
Et vaticanae obsidunt umbracula vallis.
Seditio primum solymaea erupit ab urbe
Post Stephani funus, totoque oriente virago
Christi nata modo est vexata Ecclesia: pugna
Inde locis arsit variis; judaea propago
Invida nunc proceres bissenos perdere quaerit,
Nunc Christi innocuam sacro de nomine gentem.
At primum Nero, qua vasti protenditur ora
Imperii, cunctos ferro est flammaque secutus
Christiadas, totusque in caedem insaniit orbis.
Buccina raucisonis implens clangoribus auras
Commotum excierat populum, tristisque praeibat
Lictor clamoso resonans praeconia fastu,
Quae jam mane novo triviis proscripta patebant:
» Currite, Romulidae; per circum et Caesaris hortos
» Hac non visa tenus celebrantur munera: capti
» Christiadae vaticana mactantur arena.
O mutum pecus, o semper servilis et excors

Plebs, quicumque prior medicatam porrigit offam!
Excita visendi studio de sedibus imis
Tota ruit: linquunt opera interrupta frequentes
Artifices, pagis quos aulica jussa propinquis
Transtulerant Romam, quo templa domosque recentis
Extruerent urbis. Pueri innuptaeque puellae
Effusae triviis spectacla ingentia quaerunt.
Miscetur plebi titulis insignis avitis
Nobilitas, cui sola inerat prudentia ficto
Ore loqui, ad nutum metuendi principis: ipsum
Collaudare Deum, et foedum stipare tyrannum.
At non Christigenas facies inopina dolorum
Terrebat: sonitum horribilem vix aere canoro
Increpuit tuba, solemnes vix nuntia ludos
Per plateas dimissa canunt praeconia, sanctae
Christiadûm gentes in aperta pericula mentem
Attollunt, certaque parant concurrere pugna.
Sic bellator equus martis sentire propinqui
Auguria assuetus, rauco vix bellica cantu
Classica perrumpunt auras, pugnamque lacessunt,
Stare loco nescit; vigor exultantia anhelus
Corda quatit: jamque aggestos sublime per enses
Ferri, et pulvereo misceri turbine gestit.
Quisque suum impavidus custos perlustrat ovile;
Quisque suos agnos tuta intra septa tuetur:
Pars tristes sine sole specus, procul urbe, requirunt,
Ignotisve latent umbris; pars quaerere amicos,
Siquis amicitiae locus usquam, rege Nerone;
Pars tranquilla domi manet, horrendosque ministros
Expectans pulchro praefert occumbere letho.
Huc illuc monstrans victricis proemia palmae

Pontificum senior vadit, molemque propinquae
Sustentat pugnae: manifesto numine Christus
Protegit, utque abiens casus evaderet omnes,
Aerio involvit circum velamine: cernunt
Christicolae patrem hortantem, magnaeque cientem
Semina virtutis: sed inobservabilis errat
Raptores inter medios, qui maxima turba
Undique discurrunt, saevaque indagine notas
Sanctorum exquirunt sedes, caveasque repostas.
Ast ego qui potero sanctum describere coetum [6],
Qui fuso egregias meruerunt sanguine lauros?
Ingentem nequeo numerum comprendere, nec fas:
Quandoquidem strage in misera timefacta vetustas
Nomina magnanimûm narrare, et grandia facta
Deseruit: grato memorabo carmine paucos,
Queis licuit foedi superare oblivia saecli.
Jampridem assueti arcanis admittier aulae
Hebraei duo (Christiadûm neque fata latebant
Vicina), hoc ipsum ut struerent, caedique futurae
Adjicerent causas, furiosa recentibus augent
Corda odiis. Prior Hermogenes: Tibi pandimus ingens
Arcanum, Caesar. Tibi quae (vix effluit annus)
Elapsa est manibus grajo de sanguine Virgo,
(Eunen dicebant) semotae partibus urbis
Servant Christiadae: certus tibi nuncius adsum:
Occultam Romae tenuit Plautilla, tenetque:
Ad martis campum domus est. Si talia falsa
Compereris, noster luerit mendacia sanguis.
Talia praefantur scelera exitialia: tum qua
Laetitia ferus accepit patefacta tyrannus?
Plautillae prior ante alias circumdatur aedes,

Qua spes effulget grajam latuisse puellam.
Ingressi cuncta explorant, desertaque cuncta
Inveniunt: qua consurgit solemnior apto
Ara loco, strepituque latet semota profano,
Matronam orantem inveniunt cum virgine. Magnus
Laetitiae exoritur strepitus mediamque puellam
Corripiunt. Domino praepes quis nuncius ibit?
Ceu si conjugii solemnior hora propinquat,
Ipsa suam Plautilla piam decorârat alumnam
Ornatu vario: niveo velamina lino
Induerat virgo: intertexto circulus auro
Cervicem ambibat roseam; tum serta rosarum
Roscida texuerant ostro diadema rubenti:
Et color et vultus, quae puro flammula corde
Aestuat, ingenui referunt dulcedine risus.
Fulgentem sanctae miro splendore juventae
Lictores videre: tenetque ignota tuentes
Formido. Sed Virgo: Nihil namque obstat: eamus.
Ducite meque etiam fatur Plautilla, suamque
Commissam fidei comitem exhortata praeivit.
Non tamen aut siccis oculis communibus aris,
Sedibus aut notis potuere excedere. Caelum
Prospexit Plautilla silens: Et certior illic,
O Petronilla, domus fuerit: dignatur honore
Tanto nos Sponsus; gressum properemus, et istam,
Sic placeat Sponso, laurum mereamur opimam.
Talia versabant secum, gressumque movebant.
Miratur miles nullo trepidantia casu
Pectora: magnanimo in vultu lucere serena
Gaudia miratur, saevas et temperat iras.
Jamque propinquabant Circo, vallemque theatri

Intrabant, inter fulgentes aere catervas
Ut Nero prospectat muliebrem accedere coetum,
Omine laeto animos tollit, gaudensque corusco
Desiluit solio. Sed ubi stipata Virago
Fit propior, magnas spes irrita suscitat iras,
Et procul: Unde genus? quae patria? flagitat. Illa:
Patria Bethsaide, genus est de sanguine Judae,
Et Christum sequor: haec omnis mea gloria, dixit.
Tunc Caesar rauca turbatus voce: Sed Eune,
Dic age, quo fugit? Comitum fuit una mearum
Hactenus, illa inquit: Christi sacra jura colentem
Christiadûm pietas procul hinc in tuta locavit.
At quidnam scitare Eunen? Non ipsa Neroni
Sufficiam? Nero, si nescis, ego filia Petri
Qui Christi gerit officium, quem Ecclesia Christi
Auctorem rerum, fundatoremque salutat.
Obstupuere piae virtutem Virginis. Ipse
Uno Pontificis tremefactus nomine Caesar,
(Eversorem illum imperii, alteriusque perhorret
Occultum Romae dominum): Tun'filia Petri?
Omnem qui e fundo conatur vertere Romam,
Qui gravidum imperium bellis pertentat iniquis,
Europamque Asiamque suis submittere jussis
Molitur? Fatis demens auctoribus uti
Mentitur, gentesque audet turbare quietas.
Tum Petronilla: Nero, neque noster bella lacessit
Ulla Pater, tibi nec terris est aequior alter.
Jurgia nequicquam jactas vanasque querelas.
Quo caput infandum excessit, quo barbarus hostis?
Sic Nero turbatus: Frustra ab nata ipse requiris:
Quem vos nescitis, praesens est Petrus, et errat

In medio vestrum. Patrem petis? incipe Caesar,
Incipe, jamque sitim nostro compesce cruore.
Talia dum Virgo fatur, Plautilla silebat,
Et mox ipsa etiam dictis audacibus addit:
At me nec poteris lecta sejungere alumna.
Virginis ipsa fui custos; tutum ipsa paravi
Eunae perfugium, ipsa tuis lictoribus illam
Surripui, ipsa alias inter sacra claustra puellas
Eduxi dulcis mater: jam crimina nostra
Audisti: quidnam cessas? nos redde magistro.
Perfice jam nostram, tortor saevissime, caedem.
Increpuit subitum per spissa sedilia murmur:
Palluit audaci Caesar sermone, ministri
Contremuere omnes, neque Tigellinus abire
Rem longe passus lictoribus objicit ambas.
Talia Janiculo speculatur Petrus; abactam
Ipse prior spectans foeda ad subsellia natam,
Laetificas nequiit lacrymas retinere paternis
Manantes oculis: sed ubi pia dogmata vidit
Fortiter orantem, et generosa morte cadentem,
Fertur humi supplex: Neque opis, Jesu optime, nostrae est
Solvere, ait, dignas grates, quod sanguine primo
Nata Petri Romam aspersit. Virguncula dirum
Sprevit carnificem, exemplum spectabile terris
Omnibus. Ecquisnam nisi tu, Rex optime Regum,
Tantarum est auctor laudum? Jam nata potitur
Ore tuo tandem, et sancti dulcedine risus:
Ipse moror terris: cum nata junge parentem.

Parte alia Exquilias praecelsaque tecta Pudentis
Cingunt, si pompae quirent lectissima ferre
Dona, patrem impavidum galilaeae dogmata gentis

Ausum luce palam medio clamare Senatu,
Quatuor et natos vitae melioribus annis
Florentes, Christi nomen legemque professos.
Omnia quae Senior praesaga mente cavebat,
Et debellata sanctis sermonibus aula,
Ut primum aspexit proscripto nomine bellum,
Exhortabatur natosque ad magna ciebat,
Caelestem memorans flammato pectore palmam:
Ad quem sic viridi natus spectabilis aevo:
Quid facimus, Genitor? mox nostra ad limina miles
Adfuerit: nostram demitte e pectore curam.
Est animus nobis lucis contemptor, et annis
Integra praestanti juvenescit corpore virtus.
Hoc nobis concede, Pater; defende sorores
Teque simul: fera nos tantum in certamina mitte.
Hac secreta via infernas descendere ad aedes,
Illic tuta salus; tacitis vos condite in umbris.
At Senior natum inspexit, laetoque loquentem
Excipiens risu: Quidnam, dulcissime, narras?
An bellatori liceat, cum rauca cruentum
Buccina dat signum, veniensque accendit in hostem,
Linquere militiam, jurataque fallere signa?
Quo res cumque cadent nostrae, nos ibimus una,
Ibimus: et natis comitatam quatuor aevi
Canitiem hanc videat Caesar; pro nomine Christi
Sponte senatorem videat dare libera morti
Pectora; Roma quidem factum mirabitur, atque
Clarior extabit Christo fideique triumphus.
Christe pater, caelo genitorem suscipe: natos
Suscipe. Si unanimes, si tecto viximus uno,
Ne patiare, precor, sejungi in funeris hora.

Non tamen hi coeptis desistere: junior alter
Pronus humi fertur lacrymans, genibusque volutus:
Si te nulla tui pietas tenet, optime, dixit,
Natarum miserere, Pater: quas flore tenellae
Aetatis poteris dubio objectare periclo?
Anne tibi certum est praesenti pectore saevam
Laturas mortem? praedam saevo objicis hosti?
Nonne idem Christus vitare pericula rerum
Incerta edixit? quae deinde pericula cingunt
Femineum genus, agnôsti: spectante Nerone
Et populo, quid si variis data victima poenis
Quas fera barbaries molitur, morte futura
Pallebunt? quae foeda dabis spectacula Romae?
Dixerat: attonitus magnis sermonibus haesit
Magnanimus senior: patrem per plurima versant
Hinc recti cultus, expectatique triumphi
Christiadûm, inde datum genitori nobile munus
Prima puellarum certo vestigia gressu
Dirigere, et vitae innocuam defendere famam.
Attonitus defixa solo atque immota tenebat
Lumina; suprema mentis super adsidet arce
Relligio clavumque regit, curasque ministrat
Diversas animo. Longae experientia vitae,
Virtutisque comes vicit prudentia tandem:
Et veluti extimulante Deo: Vos ite: coronam
Martyrii capite, ambo fratres; ipse relinquar
Virginibus custos, meritisque parabo futuris.
Non tamen ire sinam solos: vos ipse nefandam
Ad vallem comitabor, ubi pars magna triumphi
Vos eritis: supra lati subtegmina clavi,
Palliolo condar trito, miseroque popello

Ignotus miscebor, opem obtestatus amicam
Coelicolûm. Ad patrios laetus remeabo penates,
Cum vos conspiciam objectam contemnere mortem,
Exutasque animas caeli super astra volantes.
Hac vice sermonum, furiosi militis arma
Vestibulum primum ante fremunt, aditusque coronant;
Et procul, o famuli, medio dux agmine fatur,
Qua stat sede Pudens? postes jamque ecce sub ipsos
Nititur ipse gradu, foribusque incumbit ahenis:
Jamque pererratae spatia exuperaverat aedis
Ultima, cum tecto procul interiore Novatus
Progrediens: Coram vobis, quos quaeritis, omnes
Adsumus; irarum cunctas deponite caussas.
Quo Pater excessit? vestras monstrate sorores:
Talia dicebat ductor, sed talia natus
Respondit: Ne quaere patrem, ne quaere sorores.
In tuto posuit pietas: sed mitte timorem.
An duo non superant nati? mercedis opimae
Praemia magna feres, si Caesaris ante tribunal
Stabimus, ingenuae praestanti vere juventae.
Desere, quem senii jam jam illaetabile pondus,
Quemque adimet vobis, non est mora longa, sepulcrum.
Audacis juvenis voces, color, ora furentem
Ductorem flectunt: Vobis quae amentia, dixit,
Projicere hanc animam? mecum properate: licebit
Vos orare ipsos caussam: delicta parentis
Haudquaquam immerita natorum morte piare
Audebit Nero. Densatis legio horrida pilis
Amplexa est medios, subitoque palatia celsa
Deseruere: tenent vastae, turbante tumultu,
Urbis iter, circumque ruit miserabile vulgus

Spectandi studio: magnus per pectora cunctis
Insinuat stupor, et multi miserantur amaros
Casus, et juvenes prisco de sanguine, et ore
Ingenuo raptos funestae ad concava vallis.
Magna quies ollis, vultuque immota sereno
Stat gravitas: et ubi Circum apparere nefandum
Conspiciunt, inopina pio super errat in ore
Laetitia; accelerant gressus animosque capessunt
Divino alloquio, et patriae caelestis amore.
Interea Genitor sceleratas adfore turbas
Audierat, caveaeque latens penetralibus imae
Descendit, natas consolaturus iniquo
Ab desiderio fratrum. Cessisse peregre
Nôrant, atque vale fratres dixisse supremum:
At Pater occuluit fatum exitiale puellis,
Dissimulans, altoque premens sub corde dolorem.
Ore tamen patrem dubitantem, et multa putantem
Anquirit praesaga mali mens: quaerere magnus
Plura pudor prohibet, tacitaeque silentia servant.
At mox femineis caelum implevere querelis:
At vos praesentes, tristes avertite casus,
Caelicolae: absentum vobis custodia fratrum
Tradita; teque, parens Virgo, quae maxima custos
Christiadûm, petimus: propius res adspice nostras.
Talibus orabant ad sacra altaria flexae,
Qua superimpositae geminato lumine lucent
Taedae, flosque novus foliis viridantibus halat.
At Senior magno Christi inflammatus amore
Ipse suis oculis natos certamina tanta
Tentantes spectare cupit, sanctosque triumphos.
Ergo commonuit vanos deponere luctus.

Quamprimum hic adero, Natae: me magna per urbem
Cura vocat. Tantum trepido dum Roma tumultu
Aestuat, incertosque animos discordia demens
Excitat, absentis vos jussa facessite Patris:
Sedibus his efferre pedem veto: sedula nutrix
Adstabit: duplicate preces, votoque calenti
Conciliate Deum caris pro fratribus, atque
Pro patre absente. Et major sic fata sororum:
I pater, i felix: magno te numine sistat
Incolumem Deus, atque brevi tua tecta revise.
Et nos interea sanctas volvemur ad aras.
Ergo Senatoris vestes, gestamina nota
Induitur: latus descendit pectore clavus,
Lunula purpureo vestigia firmat in ostro.
Quae tamen officii occultat monumenta vetusti;
Exterius vili totus sordescit amictu,
Inque peregrini morem sua tempora condit
Thessalico pileo: tum tecta domestica linquit,
Ocyus accelerans funestam ascendere vallem.
Et jam transnârat Tiberis vada flava, levique
Ibat permixtus populo, nec cognitus ulli
Planitiem immensam Circi penetraverat: ecce
Magnanimos juvenes, manibus post terga revinctis,
Conspicit impavidos media procedere arena.
Quid nunc plura petis? morientibus affore natis
Audebis, pater infelix, juvenile securi
Abscissum caput adspicies? ah! ferre dolorem
Quî poteris tantum? potius tete occule, certam
Seu molire fugam. Haec vitae malesanus amator
Dictâsset. Christus socios non talia jussit.
Si quis me sequitur [7], neque forti pectore patrem

Oderit, et matrem, dilectaque pignora natos,
Uxoremque ipsam et fratres, carasque sorores,
Insuper ipsam animam, nostri haud est dignus honore
Discipuli. Triplici munitum adamante rigescit
Pectus Christiadûm, si quando adversa fatigant
Praelia; non illi corpus terrenaque membra
Curant, sed vitae spatium immortale tuentes,
Poenarum cunctas audent contemnere sortes.
Quod sibi, quod cunctis contingere fratribus optant,
Quos eadem pietas toto conjungit in orbe.
Quid si luctantes consanguinitate propinquos
Conspicient medio versari turbine lethi?
Non illi pavidi fugiunt, cunctoque timore
Deposito, auxilium jungunt animosque ministrant,
Donec caelestis decorentur laude coronae.
Ergo dum circo totum stetit agmen aperto,
Ingentis pompae seriem, procerumque senatum,
Romanosque duces, totamque ex ordine gentem
Lustrabat Senior, cunctosque videbat in unum
Intentos oculis (et multi tristia secum
Fata dolent juvenum): placidus vultu ipse sereno
Aethera suspexit, Christumque in vota vocavit:
Magne Pater, Christe omnipotens, nunc numine dextro
Auxilioque juves natos nova coepta moventes.
Quos simul ad podium videt adventare nefandus
Caesar (nec porro genitore Pudente latebat
Esse satos juvenes): Et quo sat cognitus urbi
Et nobis abiit Pater? inquit: pauca reponit
Agmen agens ductor: Modo celsa palatia, Caesar,
Servabant juvenes, qui sese sponte dederunt.
Aufugit Genitor. Nero tum sic concitus ira:

Perfidus aufugit, primos qui poscit honores
Improbus, et nimium gaudens popularibus auris
Dira per incautum spargit contagia vulgus.
Non tulit haec juvenis generosa mente Novatus:
Nequicquam, Caesar, sanctum contemnere nomen
Pertentas, inquit: vetus haec injuria, longae
Insidiae: ipse omnem egregia virtute petivit
Justitiam, et postquam divino munere sacros
Ritus Christiadûm cognoscere contigit, uni
Praegestit servire Deo, nil cetera curat.
Audiit ista Nero, et dictis objurgat acerbis:
Cetera nil curat? vultum simulataque verba
Saepius agnovi; tegit altum corde venenum:
Consilio versare domos, nocturna vocare
Orgia, sollicitas excire in praelia turbas,
Haec Genitor curat, nostrique evertere molem
Imperii. Plena nuper patefecit in aula,
Quae nova molitur dudum secreta frequentans,
Et suadet populo. Contra unus stare Neronem
Audebit? patriis adytis, arisque relictis,
Hebraeûm studia, et mores, et foedera spargit:
Nescio quem regem devicta orientis ab ora
Venturum celebrans Romam, et nova jura daturum.
Amplius hic nequiit servare silentia natu
Timotheus minor: At quae tu mysteria magna
Christiadûm ignoras, Princeps turpissime, spernis.
Christiadas, causamque vocas, primumque malorum
Principium? incendisse urbem, vastâsse penates
Christiadas jactas? Novit conterrita Roma
Omnia et infremuit; novit quae praemia ponens,
Quo pretio invitans, Romam, tua moenia, Romam

Imperii dominam, flamma crepitante, cremari
Jussisti: novit, quae te tenuere nefanda
Orgia, quo conjurabas: et parva videtur
Illa ruina? vocas sub iniquo judice caussam
Christiadûm, et fidis viduas tot civibus urbem?
Talia dicebat Juvenis. Spirabilis Aura
Interea insueta rapiebat voce Pudentem
Isque Petrum (lateri Petro comes ibat eunti)
Affatur: Natas, Pastor, tibi trado relictas:
Magnum aliquid vis omnipotens me invadere suadet,
Quod magis excutiat populumque patresque Neronemque
Ipsum, et Christiadas majore extollat honore.
Ipse tuis precibus nostro par pectore robur
Implora. Satis ipse manes. Vix talia fatus,
Pontificis nec certa manens responsa, frequenti
Se immiscet turbae, Circumque irrumpit apertum
Incessu propero, podioque supervenit: Eja
Plurima ne scrutare, Nero: quem quaeris, habeto.
Haec ait, et nota patuit tum veste Senator.
Discite, Romulidae, quanto stat numine nostra
Nixa fides! Toto Senior tum corpore fertur
Fusus humi, passasque manus ad sidera tollens:
Christe Pater, sanctae instaurator maxime Romae,
Accipe me, caput ipse meum tibi sacro: Neronem
In melius muta, totum tibi verte Senatum,
Et patriae patres omni praecellere cultu
Justitiae dona. Primus te voce Senator
Suppliciter posco, primus tibi sanguine fuso
Me voveo. Melior Romae sententia surgat.
Ecce domus tibi cuncta Nero stat cernua; totam
Confice. Per Circum strepit ingens clamor, et omnes

Turbantur cunei, calefactaque corda resultant.
At Tigellinus praetoria signa catervas
Densari unanimes, magnumque per agmina murmur
Comprimere actutum, et captos circumdare jussit.
Hoc erat, hoc calidis quod votis saepe petivi,
Ore Pudens placido effatur: Non unguibus insons
Effugiet praeda, augustis se devovet aris
Ipsa volens. Clara dicentem talia voce
Plurimus exuperat miles, natosque Patremque
Immiserabiliter jugulant; tum corpora totum
Per Circum rapta, inque Tibrim dejecta propinquum.
Aspectu remanent foedo subsellia muta.
Plerique haec secum: Ast impar jam pugna videtur!
Quae nova gens hominum! temere nec credere quibis
Artifices falsae simulatoresque quietis [8]:
Anne ipsos maneant aliud majora sub aevum,
Ignea queis placido spes enitet ore, pioque
Inspectant risu supremum accedere finem?
Altera jamque aderat furiosae victima caedi.
Herodion trahitur. Sancta perstabat in aede
Narcissi Senior, multisque altaria votis
Orans suppliciter cumulabat. Turbidus ecce
Ingreditur miles, disjectaque sacra profanis
Conculcat pedibus: longis mox brachia loris
Innectunt, urbisque trahunt per compita, foedum
Ludibrium populo, manibusque ictuque lacessunt.
Ille nihil; rabidasque minas, magnosque dolores
Despicit; interdum caelesti luce decora
Lumina sustollit caelo, radiatque sereno
Majestas vultu. Media Confessor arena
Constiterat. Solio Princeps tum primus ab alto:

Et, quid agis, caput Hebraeum insanabile? magna
Conclamat voce; unde tibi furor incidit amens,
Ut nostram injiceres incendia saeva per urbem?
Qui comites sceleris? quodnam crudele paratis
Consilium? Herodion paucis sic farier orsus:
Quae, Nero, commemoras incendia, vidimus ipse,
Atque mei comites. Quis vero accenderit ignem,
Tu melius nòsti: ne nos frustra obrue tanto
Crimine. Nos Christum sequimur, nos: unica nobis
Cura orare Deum: nil cetera cuncta moramur.
Nec plura Herodion. Populo ridetur ab omni.
Tum Nero quo populum vultu, trepidumque Senatum
Terrificat, spectans rabiosa expalluit ira:
I, Lictor, connecte manus; obnubito frontem,
Atque feri gladio. Velox ad jussa minister
Urget opus, flexoque genu Confessor arena
Procubuit media; palmas utrasque tetendit
In caelum, quamvis arcerent vincula palmas,
Effuditque preces: Tellus haec audiat omnis,
Audiat et caelum extrema quae ipse alloquor hora.
Omnipotens genitor, nostro cum sanguine vitam
Accipe: peccantum miserere, et parce furori
Ignarae gentis. Voto tamen adjice pondus.
Qui cruor e nostro labetur corpore, Romae
Sit sperata salus. Nostro de semine mille
Surgant Christigenae, qui sancto tegmine obumbrent
Septenos colles. Nascatur origine nostra,
Quotquot erunt cunctis Ecclesia sanctior oris.
Haec ait; et lictor malesana excanduit ira,
Implicuitque comam laeva, dextraque securim
Extulit, exectaque caput cervice revulsum

Commonstrat populo: plaudit fera turba Neroni.
Ecce trahebatur turma stipatus iniqua
Illustris Proculus: concretos sanguine crines
Ille gerit, lacerumque inhonesto vulnere corpus.
Certatim illudunt, saevisque odia aspera verbis
Extimulant: tamen ille ruit per tela, per hostes
Impavidus, patiturque minas plebisque patrumque.
Conspiciens Nero, clamorem super aethera tollit
Ingentem. Ante sacrum Proculus quam intraret ovile,
Caesarea pincerna fuit gratissimus aula.
Illum fundentem laeto spumantia vino
Pocula constanti Princeps dilexit amore.
Inque vicem steterat dudum servator honesti
Munere in exiguo Proculus, tenuitque Neroni
Tempus in omne fidem. Sed ubi documenta salutis
Accepit, rapuitque virum divina cupido
Sacris conciliis Tarsensem audire loquentem,
Vidit nutantem per mille pericula vitam
Errare, et portu fugiens se abscondit amico.
Ex illo profugus tota quaesitus in urbe.
Dum turbae immissae solerti indagine cingunt
Secretos adytus, et nota cubilia sanctis
Christicolis, tandem latebroso in pumice, portam
Trigeminam prope, deprensus, trahiturque per amplam
Circi planitiem. Domino se sistit iniquo
Heros impavidus: Neque me aspernare loquentem:
Audi me, Princeps, posthac quodcumque subibo
Supplicium. Ne, si latui, tutusque refugi,
Me rere infidum. Mansissem fidus in aula,
Si possem esse Deo fidus, vitamque tueri
Incolumem. Invitus, Princeps, tua limina liqui,

Ut totus Christi sacris advolverer aris,
Pro te, pro Roma fundens ardentia vota.
Mene putas hostem? infesta quot conspicis aula,
Suasores scelerum, hos potius tibi dixeris hostes.
Princeps, cede Deo; poenis torquere nefandis
Desine Christiadas. Dixit, majorque Neroni
Ignescit rabies, gladiumque ignemque minatur.
Jamque: Agon ?? exclamat tortor: sed maximus heros
Sponte sua tradit jugulum; de vulnere sanguis
Liquitur, immani plaudit fera turba Neroni.
Sed tu praepetibus pennis, ceu laeta columba,
Libera terrenis caelestia gaudia curis
Mutas, fortunata anima, ingrederisque corona
Aucta triumphali caelestis limina templi.
Tum vero indomitos concepit corde furores
Caesar, ubi propius secreta abscondier aula
Agnovit comites Christi vexilla secutos.
Adveniunt Torpes simul, atque Evellius; ille
Procurare dapes mensae praefectus herili,
Hic peregre advectos solitus praesepibus altis
Pascere quadrupedes, quos victa Britannia mittit,
Barbara quos Thrace, et dives Germania campis
Fertilibus. Paulum quondam divina loquentem
Audierant: Petrus sancta lustraverat unda;
Christigenae steterant aula; si quae hora dabatur
Immunis, magni quaerebant sancta Pudentis
Limina, quo alloquiis aderant, sacrisque litabant.
Condidit ut tutis Torpes sacra pignora tectis,
Largior incaluit generoso in pectore flamma.
Dum socii pugnant, segni languere quiete
Non passus juvenis, turpi dilabitur aula,

Si qua posset ope, aut miseris succurrere sperans
Fratribus, aut sanctae mercari praemia palmae.
Ecce olli comitem se Evellius obtulit: arma
Induerunt ambo, et vaticana arva requirunt.
Jamque forum in medium ad Puteal venere Libonis;
Ingentem videre chorum proscripta legentem
Decreta, et fremitu jactantem verba profano.
Constiterunt ambo, calefactaque corda sacratus
Impetus abripuit. Tum Torpes: Stamus inertes,
Evelli? et muris suspensa minabitur ultra
Pagina Christigenis? at non impune licebit.
Sanguineum edictum, casus quicumque sequatur,
Dilaniemus, ait: neque dicto segnior omnem
Protinus increpuit plebem, decretaque laeti
Oblongis scindunt pilis, populoque stupenti
Christiadûm incipiunt laudare ingentia facta.
Talibus instabant, cum equites (praetoria turba
Omnia cognôrant) per diversoria nota
Occurrunt, juvenesque Dei mandata loquentes
Deprendunt. Laesa pro majestate quiritum
Sontes foedifragi stant Caesaris ante tribunal.

Per Circi spatium insuetam procedere pompam,
Ipsius addictos juvenes penetralibus aulae
Quo vultu Nero, quove animo conspexit? Iniquus
Palluit, et secum fanda atque nefanda volutans
Talibus alloquitur per longa sedilia Patres,
At timor incertas medio secat ore loquelas:
Quocumque immanem video consurgere pestem
Christiadûm. Hebraei nostrum pessumdare regnum
Conjurant, victusque oriens inopina duella
Infert, et misero contristat turbine Romam.

Et tantum domino audebunt sperare Nerone?
Lege agito, o Lictor, dixit; docilisque satelles
Exequitur leges. Truncato vertice, lethi
Heroas geminos sopor occupat. Ignea terris
Lumina si claudunt, caelesti effusa nitore
Divinum propius solem sine nube tuentur,
Vividiusque oculo immortale ardescit acumen.
At quo nunc cantu vestrae praeconia laudis
Prosequar, illustri felices morte puellae?
Te, *Basilissa*, cano; te dulcis, *Anastasis* [10]: ambae
Magnanima virtute pares, ausaeque cruentum
Carnificem insultare, feram et contemnere mortem.
Enatae Romae Graecis genitoribus ambae
Virgineum intacto servabant corpore florem,
Seque tibi Matrique tuae sine crimine castas
Sacrârunt, Jesu, qui inter candentia pergis
Lylia, Virgineis semper comitate choreis.
Illae caelesti radiantem lumine sponsum
Quaerebant, poterat qui reddere praemia sponsis.
Paulus praerepta viduas genitrice sacratis
Foverat alloquiis: reducem videre sorores
Laetatae, isque pio adveniens sermone levârat
Ancipites animos, claustrisque manere remotis
Suaserat, et belli dubios vitare labores.
At celata nequit dudum consistere virtus,
Quae circumfuso replens loca proxima odore
Prodidit inclusas. Vicinia tota sorores
Noverat, et turmae sedes ostendit iniquae.
Tum nova virtutum genuit miracula Christus.
Ut videre ferum infestis latratibus hostem
Per medias errantem aedes, mortemque minantem,

Non ullam fecere moram, victasque dederunt
Ultro manus, vallisque duces ad opaca sequuntur,
Certae extrema sequi, et testantes sanguine verum,
Laude pudicitiae sanctam decerpere laurum.
Quas Circo in medio laetas, ceu luce nitente
Conjugii, ut videre chorus matrum, omnibus ingens
Exoritur pietas, visaeque avertere vultum,
Nec lacrymis caruere genae. Jamque omnia muta
Perstabant, luco cum vox egressa silenti
Ingenti strepitu (quis vocem emiserit auctor,
Incertum est); vulgus repetit quam deinde malignum,
Atque patres: Dent sacra Jovi, si vivere sperent.
Et populo inclamante Nero, strepituque coactus
Horrisono: Date thura Jovi, vitamque, puellae,
Accipite; at Basilissa: Jovi, vestrisque deorum
Nominibus neque thura damus, neque credimus: unus
Omnipotens nobis Deus est, caelique creator
Terrarumque idem. Sed non Deus iste valebit
Praestare incolumem, sic Caesar: et illa propinquat
Ad solium, praesensque animo insultare Neroni
Audet: Tam longi, Princeps, quae caussa furoris?
Ecce infelices damnatae lege puellae
Ad caedem trahimur; quae nostro in sanguine merces?
Quo nostram, quaeso, praetexes nomine culpam?
Et nos incendisse urbem, vastâsse penates
Jactabis tenerae correptas flore juventae?
At nos poenarum impavidae genus omne feremus:
Christus adest nobis, teneroque in corpore vires
Sufficiet; Christus foedi vitare tyranni
Infames dabit insidias; te foemina turba
Despicit; ipse parat caelo connubia Christus.

Tum comitem gaudens excepit Anastasis: Eja,
Exsaturare, Nero; nostro de corpore flumen
Ebibe sanguineum: funesta morte pudebit
Plectere femellas, quem caram occidere matrem
Non puduit?... Saevis dictis obmutuit amens
Attonitusque Nero: mirati equitesque patresque
Ingens propositum, tantumque subesse vigorem
Virginibus. Fuit hoc cunctis mirabile visu:
Dum Nero terrificat stupefactam nomine Romam,
Servitumque ruunt omnes, liberrima servant
Pectora femellae geminae, immemoresque pericli
Barbariem objiciunt et crimina foeda tyranno.
Ut mentem recipit Caesar, dumque horrida secum
Mordacis linguae memorat convicia: Jamque
Vivent Christigenae? vivent, nostroque minantur
Excidium solio? Si tanta audacia parvis
Virginibus, quidnam saevis agitare tenebris
Crediderim Hebraeos proceres? Excindere pestem
Funditus immanem per caelum et sidera juro;
Nec parcam aetati, aut numero: delere jubebo
Omnes: principiis obsta: simul ite, puellae:
Quam vano fastu poenam quaesîstis, habete.
Sanguine clamosae luitis convicia linguae.
Nec mora: carnifices secuerunt candida colla.
Romanae matres demessas funere acerbo
Spectantes, imo gemitum de pectore ducunt,
Nataeque attonitae collem implevere patentem
Clamore. Insolitum per spissa sedilia murmur
Insonuit, gelidusque coit formidine sanguis.
Tantorum adspectu scelerum pars maxima sese
Abripiunt, et spectantum densata corona

Incoepit sensim immiti rarescere valle.
Non tamen obscoeni subsedit victa Neronis
Improbitas. Vesper primas induxerat umbras,
Et nova prodigii facies oblata morantes
Excussit. Longum seniorum ducitur agmen,
Quod prope Janiculum extructis degebat in aulis.
Ac veluti armentum vastis longo ordine campis
Procedit; varii praeacuta cuspide stipant
Ductores , tardosque gradus calcaribus urgent;
Haud secus in medio turbam excipiebat inermem
Intertexta phalanx; si quos mutabilis aevi
Impediebat onus, gladiis aut voce lacessunt.
It medius majore cluens virtute, sacrisque
Antistans Patrobas: Qua nos victoria ducit,
Acceleremus, ait. Quae nostro e sanguine surget
Gloria Christigenis! Nobis jam cuncta peracta
Mortalis vitae series; jam limine primo
Vitae immortalis melior fortuna locavit:
Arrepto laetam capiamus tempore sortem.
Talia dicebat Patrobas, aciemque movebat.
Ut densam videre manum descendere clivo
Romulidae, subitus clamor se tollit ad auras
Dissensu vario: sed non pietatis honestus
Ille fuit strepitus. Saeva pars infremit ira,
Christiadas cernens, dum tanto considet omnis
Urbs luctu, certo caput objectare periclo,
Nec veniam orare, aut vanos effundere questus;
Vadere quin etiam arrectis cervicibus, atque
Canitiem extremam miserando occludere fine.
Indecores alii turbas, effoetaque monstrant
Ridentes capita, et: Flammis circumdare viles

Has animas clamant, inhumata inflctaque turba
Sternatur campis, et inundet sanguine plantas.
Consilium laudat Caesar, reperitque recentum
Poenarum species; stipulas inferre ministros
Imperat, aggestis et corpora cingere prunis.
Sol indignatus tanti spectacula luctus
Horruit, et citius tyrrhena conditur unda,
Monstriferos terrae partus, Romaeque perhorrens
Exitiale scelus: neque cura tacta minori
Cynthia nubifera abscondit ferrugine vultum,
Virgineum fugiens visu scelerare pudorem.
Parte alia, obscuris pestis cocythia silvis
Egreditur; vix audierunt insigne parari
Supplicium, obscoeno passim infremuere tumultu,
Lucifugi manes. Satanas stetit arduus alto
In scopulo, et dictis animos incussit amaris:
Nunc nunc, o socii, antiquam decernite litem;
Invisa excindenda virûm stirps funditus omnis,
Cum res ipsa vocat. Quis confidentior ibit,
Caecisque abstrusos latebris exquirere cunctos
Audeat? ad praedam discurrite, cingite silvam,
Vestigate vias: O si quem turba veretur
Numinis ipsa loco invisus Piscator adesset!
Ipse meis illum manibus comburere vellem!
His dictis luco erumpunt, jamque aëre nigro,
Per medios ignes, per densa volumina fumi
Undique funduntur: cunctis novus additus ardor:
Plebs furibunda ruit vario clamore, per omnes
Hortos diffusa, et vasti per moenia Circi.
Mille repente faces lucis arsere coruscis,
Et tota emicuit vallis ceu sole diurno.

Tum vero incumbunt; praesentia dira Neronis
Hortatur. Miseris torquentur sancta piorum
Corpora dilaniata modis, obscoenaque passim
Ludibria adduntur pereuntibus. Iste ferarum
Hirsuto tegitur tergo, circumsona latrat
Turba canum, et morsu miseros depascitur artus.
Hi crucibus fixi oblongis, his viscera nudant,
Hi superinducta pice magnae lampadis instar
Ardescunt. Namquis tantos narrare dolores
Evaleat? cohibete gradus, o Carmina, vestros.
Ergone divino defectus lumine, priscae
Terrigena usque adeo amisit vestigia formae,
Nulla ut cognatae superent socialia stirpis
Vincula? mansuetos ursos mitesque leones
Adpellare licet, qui fuso sanguine gaudent
Exaturare sitim. Tibi inexaturabile pectus,
Implacata tibi et nunquam repleta cupido
Sanguinis humani, Caesar. Quae bellua terris
Hactenus ignota infernis erupit ab antris?
Ipsum inter silvas maculis insignis et albo
Portat equus, cristaque tegit galea aurea rubra.
Romulidae nequeunt tantum sufferre dolorem.
Corda movet pietas: nequeunt heu! lumine sicco
Cernere tot rerum lacrymas, damnantque Neronem.
Horrida qui languere videns spectacula, segnem
Exhilarat plebem circensis munere pompae.
At si Christigenae faciunt leviora ferendo
Omnia, et horrendae passi ludibria mortis
Conticuere piae pro Relligionis honore,
Ethnica romanae superat feritatis imago,
Quae vim vi ulcisci properat. Sic crimine crimen

Opprimitur, rebus ne fors sublata secundis
Mens impune queat misero insultare dolori.
Christiadas, Caesar, vidisti occumbere laetos;
At tu tranquilla poteris requiescere pace?
Haec vaticanis dum foeda geruntur in hortis,
Nuncius extremam Thraseae denunciat horam,
Mortisque arbitrium. Coetu forte ille frequenti
Splendida quaerebat sophiae documenta repostae:
Quae natura animae, quid dissociata sequatur
Corpora, qua liber meliori sorte maneret
Spiritus. Ut ratio vitae latebrosa futurae
Scitari poterat, docto Demetrius ore
Dictabat, falsis [11] et plurima vera remiscens.
Immotus pendet Thraseas doctoris ab ore,
Cum perlata necis sententia. Contremuere
Attoniti comites; luctu tectum omne repletur:
Undique discurrit pavor, externataque venit
Aria, quae audito nequaquam territa casu:
Praecipiam suprema Viri: teque, optima Mater,
Sectabor, dixit. Claro genitore creata
Mater, magnanimum, cui prima nupta juventa,
Paetum legitimo semper dilexerat igne.
Utque illum partes scriboniaque [12] arma secutum
Claudius immiti damnârat morte, praeivit
Ipsa viro: audacter districto cominus ense
Se feriit, sparsumque suo jam sanguine ferrum,
Eripiens: Mihi non doluit; dedit illa marito,
Et vita unanimes eadem mors abstulit ambos.
At vetuit Thraseas: Neque fas materna referre
Exempla: hanc vitam retine, ne defuat unum
Communi auxilium natae. Tum jussa senatus

Exequitur: scindit super utraque brachia venas,
Utque omnem impavidus sensit fudisse cruorem,
Sparsit humo injecta, et lateri qui junior haeret,
Aspice [13], ait, Silane: avertant omina divi,
Tempore difficili tamen es, mentemque tenacem
Propositi decet exemplis firmare decoris.
Haec ait, atque animam indignanti effundit ab ore.
Occidere extremum viderunt lumen amici,
Et flevere illum: Roma ipsa miserrima flevit,
Dum tristem gaudens spectat pinguescere vallem
Sanguine Christiadûm, tantum conterrita luctum
Audiit, atque virum titulis laudavit honoris.
At non securus mandata novissima Patris
Audierat juvenis: jaculo confixus acerbo
Restitit exanimis: calefacta mente vetustae
Effigiem Romae terraque marique volutans,
Germanis nuper remearat sospes ab oris,
Et quos Virginius juvenili pectore honestos
Commisit monitus, patriaeque futura suprema
Auxilia, ipse viro tulerat legatus amico.
Heu! nunc, quod solum terris restabat iniquis,
Praesidium deesse inspectat, saevique doloris
Procidit impatiens, buxoque simillimus ora
Pallor obit. Tandem ut mentem ipse recolligit aegram,
Singultu tristes interrumpente querelas:
Tu moreris, sed non, inquit, linquaris inultus;
Si bene me novi, si non evanuit omnis
Virtus, inferias ipsum mactabo tyrannum.
Haec ait, et lacrymae vocem impediere loquentis.
Et quamvis comites, colloque affusa resistat
Aria, disjecit cunctos, verbisque precatur

Et lacrymis, sinerent fessae succurrere Romae.
Nec mora: diversis elapsi partibus omnes
Discedunt. Juvenis florentibus obsita plantis
Vaticana petit, quaque inter frondea septa
Saevibat caedes, densa latet arboris umbra,
Obscoena opperiens gradientem ad facta Neronem.
Ausis ipse suis propior magis infremit: imis
Flamma alitur venis, et mens interrita lethi.
Jam solitos spectant cursus populusque patresque;
Ipse, viam quamvis turba importuna negaret,
Ingreditur Circum. Clamorque favorque ferebant
Currum Caesareum; at tenebris protectus amicis
Continuo juvenis medium se injecit in orbem:
Dirige tuque meum, virgo Rhamnusia, gressum,
Dixit; dum ingenti resonant subsellia plausu,
Ascendit saltu currum, gladioque corusco
Horridus emicuit, vibransque neronia quaerit
Pectora: sed praeceps currus incertaque dextra
Vulnus loricae summo vix tegmine sistunt.
Acrior invadit: neque desunt tela furori,
Tendentemque manus, et vulnera certa petentem
Illum continuit super incita turba, trahitque
Secum praecipitem. Medio videt agmine captum
Caesar, desiluit curru, juvenemque Silanum
Agnovit. Tene, imprudens, misere potentes
Christiadae, ut nostro ultum ires sanguine caedem?
Sic Nero, sed contra Juvenis: Neque jussa dederunt
Christiadae, neque sectari pia dogmata quirem,
Dogmata, quae jubeant ipsi tibi parcere, teque
Si nescis, manibus petiere abducere, nostris.
Nil metuens, metuendus adhuc, ut victus inermis

Constiterat: Tibi bella, inquit, romana juventus
Indicit: foedo hoc monstro juravimus orbem
Servare incolumem. Circum praetoria ferrum
Semper habes, hostemque tibi. Dira aestuat ira
Caesar, at incussa nutat formidine lingua.
Continuo ingenti turbatur murmure vallis:
Parva metu primo, fictique et nuncia veri
Fama ruit: quassi strepitu, surdoque fragore
Attoniti cives steterunt; violentior exin
Irrupit pavor, et convalle exire nefasta
Vis ignota adigit: mediis Nero millibus ipse
Diffugit tremefacta amens per compita raptús:
Exanimem nullum potuit retinere Senatum
Officium. Ceu si misero plebs saeva tumultu
Indigna exiluit sese perfundere caede,
Si belli simulacra ferens armata propinquat
Densa cohors, triviis furtim diffugit apertis
Turba nocens, factique piget, mens conscia culpae
Ipsa fugam suadet; deserta repente silescit
Planities nuper foedo peragrata furore.
Sed fremitus major, superamque ululatus ad auram
Increpuit, saeva constricti compede quales
Confremuere lupi innumeri tigresque malignae,
Aut errare canes juga per montana molossos
Assuetos dominus stabula ad deformia adegit,
Horrendum laqueo minitans constringere collum.
Et mox convallem se styx obscoena per omnem
Horrida proripuit cladis praesaga propinquae.
At non immerito terras pavor urget inertes:
Aligerae mentes, acies densissima, puras
Tranabant auras: pennae sonuere volantes,

Et pharetrae ex humeris: lorica est omnibus ingens,
Auro versicolor vestis, cristisque decoris
Ornatae galeae superas crispantur ad auras:
At clypei ingentes adamantis lumine fulvo
Ardescunt, mediisque nitens umbonibus extat
Notum Erebo signum. Simul axe apparuit ingens
Formidata phalanx, tremuit teterrima vallis,
Sanguine tota rubens; subitus pavor occupat omnes
Romulidûm mentes: trepidus sed inhorruit orcus
Praecipue, stygiasque manus fanaticus error
Exagitat. Satanas: laxis fugiamus habenis,
Ipse ait, et nigris ululis obnubitur aer;
Mutati in saevos alii fugere colubros,
Sibila tollentes; nimbosae grandinis instar
Praecipites alii Tiberis latuere profundo.
Ast ea qua fuerunt Acherusia castra, petebat
Caelituum indignata cohors, ridetque fugaces
Agminis aetherei tantum resonantibus alis.
Et mox sanguineae caedis loca conscia lustrant.
Egressas animas resolutis artubus ipse
Noluit Omnipotens caeleste ascendere templum
Continuo: ut primo constarent magna labori
Praemia, devicta jussit consistere sede,
Jussit et ingentem propius spectare triumphum.
Agmine confestim aethereo miscentur, et una
Obscoenae stragis monumenta novissima cernunt.
Ut vero pugnae socias, magnoque trophoeo
Claras exuvias cernunt, inopina suborta
Gaudia; felices laeto clamore salutant
Sancti participes operis, beneque omnia dicunt.
Tum vero Michael: Ingentem cernite laudem,

Inquit, tanti operis, quod vobis aethere ab alto
Commisit Deus, et vobis praesentibus ipsi
Perficimus: Vaticani sacra nomina sunto:
Nos possessores obscoeno colle potiri
Venimus: at primum lustratum reddere caelo
Praestiterit. Fatus sua sub succedere signa
Totam aciem mandat: vexillum undabat ad auras,
Quo Crucis augustae veneranda effulget imago:
Ordine jamque equitant loca per funesta phalanges
Aligerae, carmen Patri immortale canentes,
Quod nequeat porro mortalis reddere vates.
Ter vaticanos hortos vallemque peragrant,
Ter repetunt carmen, ter nomina sancta vocârunt;
Tum stetit in medio Michael, magnumque Parentis
Decretum edixit: Respersam sanguine sancto
Hanc vallem, hos hortos, Romano nulla potestas
Pontifici abstulerit; divina potentia nunquam
Hos linquet colles: Deus hic sua templa locabit.
Et jam confusae congesto stragis acervo,
Corpora Sanctorum madefacta cruore manebant,
Per Circi spatium, et tristis per concava vallis.
Intumulata diu, et justo sine honore manere
Non patitur pietas. Medium trajecerat axem
Horrida nox, tristi abscondens caligine gentis
Romanae opprobrium: tum longa caede cruenta
Barbaries vaticanis excesserat arvis.
Pastores Linus et Cletus, selectaque turba,
Imprimis raro matres pietatis honore,
Perpetua et Lucina sacrum persolvere munus
Deproperant. Domibus per muta silentia noctis
Exibant; stat ferre gradum qua sancta jacebant

Corpora, compositoque domi decorare sepulchro.
Triste ministerium! dominas ad magna paratas
Liberti, vix parva manus comitata, juvabant.
Jamque via in media, gradiens per opaca locorum
Lucina: ecquis erit, socii, qui monstret iniquae
Relliquias caedis? dixit, dubitansque sinistris
Huc illuc agitur rapta in contraria curis.
At soror: Ipe Deus nobis qui caelitus altum
Propositum immisit, nobis Deus ipse ministrat
Auxilium, et tuto incolumes nos tramite sistet.
Talia commemorant secum, densisque nigrescens
Arboribus nemus ingrediuntur, et horrida noctis
Caligo circum latebrosas duplicat umbras.
Ecce autem nebulae scinduntur, ab aethere missa
Lux inopina venit. Ceu saepe aestate serena
Flammula per sudum visa est rutilare: viator
Attonitus longo caelum exardescere tractu
Miratur: magnum spatioso limite sulcum
Illa trahit, rapidoque micans per nubila cursu
Labitur; haud aliter caelo descendit aperto
Flammula inardescens radiis, longeque refulgens
Artus sanctorum exangues super adstitit: atque
Clara repercussum reddebant corpora lumen,
Veroque indicio turbae patuere roganti.

Scilicet haec caelo speratae praemia reddis,
Summe Pater, fidei! Sanctis spes unica, terris
Innocuis animis tua nomina rite professis
Munificus reseras caelestia templa: tuique
In partem regni post fata extrema vocabis
Exuvias ipsas. Haec quondam corpora tristi
E tumulo extabunt, miraque micantia luce

Florebunt, roseae primo ceu flore juventae.
Talia praefatae tristi subiere feretro
Certatim. Matres albo velamine condunt
Virgineos artus, humerisque decora pudicis
Corpora tollentes optata in sede reponunt.
Instat turba virûm: fratres, ut copia cuique,
Exportant denso ab luco, lacrymosaque ducunt
Funera: nulla viae terrent incommoda, nullae
Insidiae. Ire juvat, cursusque iterare relictos,
Per noctem, donec mediis inhumatus arenis
Nullus sit Martyr. Foribus Lucina superbis
Pignora, Christiadûm primos testantia luctus
Accepit, meritoque parat decorare sepulchro.
Aedibus in mediis vulgo semota recedit
Interior domus, et gemmis auroque coruscat,
In templi morem, Christo, magnaeque dicata
Diviparae: circum loculos ars dextra cavavit,
Quo sanctas sua relliquias defenderet arca.
Et primum affabre structo statuere sepulchro
Magnanimos proceres: vestes testantur honorem
Purpureae: in titulos stant nomina scripta, Crucisque
Insigne: et Matres exanguia membra, puellas
Candenti circum involvunt velamine, et addunt
Lylia virgineo capiti, documenta pudoris.
Omnibus in manibus victricia praemia palmae.
Tum vero in medio Petrus stetit, atque ita fatur:
Non ego discessum vestrum comitabo profanis
Luctibus. Eja nefas lugere in funere sanctos,
Qui Christi optato amplexu potiuntur, et oram
Terreni exilii commutavere beata
Caeli laetitia. Vos, o, vos semper avete,

Illustres animae, quae tristia vulnera passae,
Dum loquor extremum, dum vestro dulcia vultu
Oscula libamus, caeli supera alta tenetis.
Adspicitis certe, quae vota calentia in imo
Pectore concipimus. Felici sorte potiti,
Cernite jactatos per mille pericula rerum.
Si, nisi bellando, Romana Ecclesia victrix
Surgere, et extremum fulgentia signa per orbem
Ferre nequit; vos caelestem circumdate sponsum,
Vulnera vos vestra innocuo saturata cruore
Monstrate, et vestros dira in certamina fratres
Urgete, et certa spe sustentate volentes.
Vos senium firmate meum; jamjam advenit hora,
Ipseque funereo suspendam brachia ligno.
Sufficiamne sequi vos, exemplaria magnae
Virtutis? Vires effoeto in corpore fractae
Sufficientne seni? Este duces, animoque vigorem
Injicite, ut pastor gaudentes assequar agnos.
Interea emicuit caelo lux ignea: visus
Nocte super media auratus trascurrere nimbus.
Caelicolae laeti felicia munera palmas
Gestabant manibus, carmenque insigne canebant:
Hi sunt [14] qui magno e luctu venere: sacratas
Hi lavere stolas puro agni sanguine; morti
Quandoquidem dederunt dio pro nomine corpus,
Summo perpetuas caelo meruere coronas.
Post alii, atque alii concentibus aera laetis
Complevere: Deus lacrymas absterget amaras,
Sanctorum ex oculis: summa non ullus in aethra
Luctus erit, nullus clamor, nullique dolores.
Immortalis ubi exceperunt limina sedis,

Non ipsi esuriunt, sitiunt non amplius; aestus
Atque hyemem temnunt moribundae incommoda vitae.
Dum Romae interea requiescere cuncta videntur,
Horrida tempestas toto grassatur in orbe,
Exitium luctumque ferens; decreta Neronis
Perveniunt quocumque feram latura ruinam.
Tu primum, supera Italiae plaga, dives opimis
Jugeribus, fortunato quae flumine inundat
Eridanus, quae alpina super montana coercent;
Tu primum luctus imitaris, et horrida Romae
Exempla. E Cypro veniens ut viseret urbe
Barnabbas [15] Petrum, Romae simul audiit ingens
Exitium, patrias gestit transcurrere ad oras,
Te Mediolanum, te quaerens inclyta bello,
Inclyta praestanti populo, et felicibus arvis.
Indomitus turbo tiberina erupit ab unda,
Frugiferam invadens segetem, sylvamque comantem
Floribus innumeris. Viridi deprensus agello
Ipse prior cadis, o Pastor, sanctoque cruore
Fertilia irrigui foecundas gramina campi.
Dispersi erravere greges; at valle malignus
Alpina latitans Genius lacrymabile vulnus
Vidit, pravoque implevit montana cachinno.
Tu quoque funereos casus testare, Ravenna,
Quam Petri comes Antiochi digressus ab urbe,
Pastor Apollineus [16] gaudebat fundere luce
Christigenûm. At quanto stetit haec victoria luctu
Magnanimo heroi! Primo jam mutus ab ortu
Quamquam insperatas juvenis dedit ore loquelas,
Quamvis immundo pessumdata daemone Virgo
Ad sanos rediit sensus, mentemque serenam,

Falsiloqui vates conjuravere tumultu
Immani, lectaque repellunt eminus urbe.
Ille fugam celerans, coetu comitante suorum,
Aemiliam peragrat totam, natamque potentis
Rufini exanimam revocavit morte; domumque
Prodigio attonitam Christi venerabile numen
Edocuit, totamque lavit lustralibus undis.
Quae tibi pro factis series, fortissime Martyr,
Poenarum incubuit! spargentem lumina veri
Falsis addicti divis rapuere, feruntque
In medium. Sanctum discerpunt vulnera corpus,
Vulneribusque calens effunditur unda cruentis.
Mox quassae impositum navi, stridente procella,
In mare deturbant: Mysiaeque et Thracia lustras
Littora, Danubiique undas: te lecta Ravenna
Sponsa virum, te prima vocat, magnoque Ravennam
Numine te ducente, venis: heu! munere sponsa
Magnanimum corpus primi Pastoris habebit.
Namque ubi mendaces Divûm videre ministri
Casibus ereptum cunctis terraeque marisque
Incolumem remeâsse virum, opportuna Neronis
Jussa tamen nacti crudeli morte trucidant.
Et tu praestantum genitrix foecunda virorum,
Gallia, primitias florum, bacchante procella,
Educis: subito immani quos turbine messos,
Aliger aethereus sertis insigne decoris
Ornamentum Agno stellanti in limine sistit.
Nil tibi profuerit phocaeo structa colono
Moenia Massiliae Christi decorasse verendo,
Lazare [17], vexillo: quamvis commota periclo
Auxilio accurrit pubes, glomerataque quaerit

Tam caro capiti impendentem avertere cladem,
Nulla manus jussas potuit retinere secures.
Ambitio stimulat saevo parere tyranno.
Ipse cadit, laterique cadit demessus Aquensis
Maximus Antistes, sancta qui nuper ab urbe
Venerat. Insultans veluti quatit horrida grando,
Suaviter innumeris halantem floribus hortum,
Cui pietas sanctam gaudet praetendere sepem,
Impia tempestas circumdedit; omnia vastant
Flammaeque et ferrum; nulla obstat meta furori.
Nec minus insigni respersa cruore coruscas,
O tertessiaco primum fundata colono
Tellus, dives opum. Te auri irrequieta cupido
Illexit dudum, vastasque obeuntia terras
Tot maria intrâsti, Phoenici mutua reddens
Munera: nunc coeptis animos majoribus addis:
Vix portentiferis Pauli informata loquelis,
Tot claras animas, tot fortia pectora jactas,
Aspernata necem, ut scriptis insculpta columna
Horrida romulei testetur facta tyranni:
» Quod latrociniis purgavit [18], quodque nefandam
» Et diram expulerit pestem, quos voce recenti
» Christiadas dicunt, Hispania grata Neroni.
Huccine majorum recidit dementia vecors,
Ut Christo genitos aequaret sorte latronum?
At non Europa tantum sitibunda cruoris
Barbaries stetit: imperii quo terminus haeret,
Exitium decreta ferunt, tristemque ruinam
Christicolis. Syriam super incumbebat opimam
Saevities sine more furens, primumque periclo
Athletam impavidum longinqua orientis in ora

Antiochia offert. Quo sedit Episcopus ipse
Princeps Pontificum Petrus, certamina prima
Caeca superstitio foedis impulsa ministris
Infert Christigenis: sed non dejecta fatiscit
Evodii virtus (nec enim latuere malignae
Judaeûm insidiae, et foedi decreta tyranni):
Cogit Christiadas sub limina nota, monetque
Vicinam cladem, mortisque extrema parata.
At vos, o nati, si vos pastoris amati
Ullus amor tenuit, fortes vigilate, Deoque
Promissam servate fidem. Quo jussa vocabunt,
Ibo, diffuso testabor splendida vera
Sanguine. Sic fatus lacrymis simul ora rigabat.
Restitit immotis animis quae multa tegebat
Turba virûm; mox discessu commota supremo
Ardet acerba fremens, vim vique repellere jurat.
At non, o Pastor, cuiquam hoc impune licebit:
Quo res cumque cadent hodie, moriemur inulti?
Una salus nobis, unum et commune periclum.
Ecquis erit mecum? Sic sese primus agebat
Christiadûm miles, vaginaque eripit ensem
Fulmineum, strictamque aciem venientibus offert.
Ne facite, o nati: dictis tum Pastor amicis
Temperat iratos: ne lecto flore coronam
Quam dudum petimus, vestro prohibete parenti;
Non tali auxilio, nec defensoribus istis
Indigeo. Quin si palma dignatur honora
Martyrii Christus, patria si exceptus in aula
Inspectare queam caelesti in lumine lumen,
Vos semper, nati, memorabo, vosque juvârim,
Antiochena mihi carissima moenia lustrans.

Tum vero juvenem egregium qui nocte dieque
Pontifici astiterat sacras operator ad aras,
Cui pietas multa, atque annis prudentia maior,
In medio statuit, divino et numine plenus:
Ignati, (tali juvenis stat nomine) meme
Excipe Pastorem: sanctum tibi ovile resigno:
Quam Christus mihi Pontifici Petrusque dedere,
Ipse potestatem trado tibi: suffice laeta
Pabula Christigenis, fauces averte luporum,
Divinisque doce alloquiis, et sacra ministra.
Dixerat, et duplices tendens ad sidera palmas,
Orabat precibus Patrem, et spirabile Numen,
Ut juvenem omnigeno cumularent munere. Tradens
Pastorale pedum, gemmisque auroque coronam
Impositam capiti cathedraeque insigne decorum:
Haec habeas, inquit: tibi sint monumenta verendi
Officii: monumenta tibi quae donat habere
Evodius. Voces has inter janua ahenis
Increpuit foribus, telisque frequentibus adsunt
Protinus armati; saevorum turba leonum
Incubuere; Pater quos saeva ad cuncta paratos
Conspiciens: Adsum, si facti quaeritur auctor,
Adsum, qui Christi legem, qui sacra propago.
Talia dicentem ingressum circumdedit agmen
Effuditque solo: multo illum sanguine ad aras
Lapsantem comites videre: it clamor ad auras
Luctisonus, nequeuntque sacro discedere nati
Corpore: perculsus pietatis imagine miles
Restitit, et justo liquit dare fraena dolori.
Nec minus horrendo maculatae crimine Patrae:
Nam nova per populos sacrorum arcana docentem

Jusserat Andream Aegaeas [19] discedere: at Heros
Pectore restiterat forti, justisque querelis
Improbrare ausus: Hominum ipse putabere Judex,
Praeses, qui Christum juris legumque datorem
Ejicis? Aegeas male salsus dissimulare.
Tum vero illudens: Christo quae quantaque jactas
Quidnam profuerunt? potuit descendere Christus
Robore fatali, quod gens judaea paravit?
Discede actutum: populos absiste movere.
Tum sic Andreas: Tibi me parere necesse est,
Anne Deo? Ipse Deus jussit vulgare sacratum
Eloquium: tacuisse nefas mihi: muneris omnes
Explebo partes, liceat quodcumque mineris.
Commovet Aegaeam praestans fiducia: gentes
Praeterea innumeras cernit stipare loquentem:
Quid faceret? circum obstantem secedere turbam
Imperat, et vinctum latebroso in carcere claudit.
Hos inter motus veniunt mandata Neronis,
In mediumque forum, magna comitante caterva,
Advocat Heroa, et populo inspectante profatur:
Haud equidem ignoras, quae nostra potentia, quale
Decretum Roma nostras pervenit ad oras.
Si qua tui pietas teneat, si cura salutis,
Nostros devenerare deos. Fidentior infit
Andreas: Ego, qui caelum terramque creavit,
Rite Deum veneror; cunctis per sacra diebus
Pacifico: neque jam tauros lectasque bidentes
Viscera tosta fero: sacris altaribus Agnum,
Immaculatum Agnum sisto, qui pabula postquam
Collecto exhibuit populo, Deus ipse, cibique
Ipse loco, nobis aeterno mansit in aevo.

At tibi quandoquidem caput insanabile, clamat
Proconsul, Christumque sequi stat tanta cupido,
In cruce suffigam, mortemque sequere Magistri.
Dixit, et erecto mandat suspendere ligno
Insontem. Haud segnes operi incubuere parati
Carnifices, nectuntque trabes: consurgit in auras
In crucis effigiem feralis machina. Cernit
Heros magnanimus trabibus per mutua nexis
Erectum robur: Salve et, crux inclyta, salve,
Inclamat procul; o fortunatissima cunctos
Arboreos inter foetus, quae nacta decorem es
Divinum a Domini membris. Mihi saepe cupita
Tot desideriis, me suscipe, quaeso: magistro
Tandem redde meo, per te qui nostra redemit
Crimina. Sic fatus, tristi dedit oscula ligno,
Et retulit sanctum crudeli e morte triumphum.

NOTÆ.

[1] *Mucia* — Agri jugerum, quod Romani Mutio dedere in praemium virtutis, postquam Porsennam aggressus est, Transtiberinum fuisse Liv. ait lib. II. Patres C. Mutio virtutis caussa trans Tiberim agrum dono dedere, quae postea sunt Mutia prata appellata — *Et vaticanae*. Si quaeris vocis etymon, nonnulli a vate, et vaticinio dictum sic voluere agrum, quo potitus fuit populus Romanus, vatum responso, expulsis Etruscis. Sive, uti vult Gellius, ager vaticanus, et ejusdem agri deus praeses appellatus est a vaticiniis quae vi et instinctu ejus dei in eo agro fieri solerent.

[2] *Quintia* — Plinius: Aranti quatuor sua jugera in Vaticano, quae prata quintia appellantur, Cincinnato viator attulit Dictaturam, et quidem, ut traditur, nudo plenoque pulveris etiamnum ore — *Febribus infamis*. Contemptus olim vaticanus mons fuit a Quiritibus ob gravius ibi caelum et aquas sordidas et stagnantes, unde apud Tacitum: Infamia vaticani loca — *O tristes campi*. Tac. XI, 45. Hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat, et Circense ludicrum edebat, habitu aurigae permixtus plebi, vel curriculo insistens. Unde, quamquam adversus sontes et novissima exempla meritos, miseratio oriebatur, tanquam non utilitate publica, sed in saevitiam unius assumerentur. Vide quaeso quam recte Christus suis praedixerat: Eritis odio omnibus propter nomen meum. Et Tac. id affirmat, ethnico more: Haud perinde ii crimine incendii, quam odio humani generis convicti sunt. Et Svet. Ner. 16. Afflicti suppliciis Christiani, genus hominum superstitionis novae et maleficae.

[3] *Filia sic Jephtes* — Jud. XI, 36. Pater mi, si aperuisti os tuum ad dominum, fac mihi quodcumque pollicitus es, concessa ultione, et victoria de hostibus tuis. Dixitque ad patrem: Hoc solum mihi praesta, quod deprecor, dimitte me, ut duobus mensibus circumeam montes, et plangam virginitatem meam.

[4] *Ex istis* — Sic Joan. VI, 39. Haec est autem voluntas ejus qui misit me, Patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo.

[5] *Ultro periclum* — Eccli. III, 27. Qui amat periculum, in illo peribit — *Seditio primum*. Quod neroniana insectatio prima dicenda sit, habemus testem Tertull. Apol. 5. Consulite commentarios: illic reperietis primum Neronem in hanc sectam tum maxime Romae orientem Caesariano gladio ferocisse. Sed tali dedicatore damnationis nostrae etiam gloriamur: qui enim scit illum, intelligere potest nonnisi aliquod grande bonum a Nerone damnatum. Et Oros. lib. 9, scribit: Sed flagitiis suis hoc etiam addit (Nero), quod primus Romae Christianos suppliciis et mortibus affecit, ac per omnes provincias pari persecutione excruciari imperavit. Ipsum quoque nomen extirpare conatur: Beatissimos Apostolos Petrum cruci affixit, Paulum capite gladio secuit. Et caussam ipse affert Lact. lib, 2 de mort. pers. Cum animadverteret Nero non mo-

do Romae, sed ubique quotidie magnam multitudinem deficere a cultu idolorum, et ad religionem novam, damnata vetustate, transire, ut erat execrabilis et nocens tyrannus prosiluit ad exoindendum caeleste templum.

[6] *Describere coetum* — Valeat non suspecta quidem Taciti auctoritas, qui lib. Ann. XI, 44. Ergo abolendo rumori Nero subdidit reos, et exquisitissimis poenis affecit, quos per flagitia invisos vulgus Christianos appellabat. . . Igitur primo correpti qui fatebantur, deinde indicio eorum, multitudo ingens.

[7] *Elapsa est manibus* – Hoc praecipue crimen apostolorum, hanc proximam persecutionis causam patres afferunt, mulierum fugam, ut corruptorem illum vitarent.

[8] *Quietis* — Stoicos.

[9] *Agon* — Cum ad victimae caedem ventum erat, popae interroganti, *Agon?* a sacrificante respondebatur *Hoc age*. Ovid. Fast. I.

Qui calido strictos tincturus sanguine cultros
Semper *Agatne*? rogat, nec nisi jussus agit.

Torpes — Torpetem et Evellium passos fuisse Rom. docet Martyr. die 27 Maji. Hi sunt ex numero aulicolarum, quorum meminit Paul. ad Philipp. 4. Salutant vos omnes sancti, maxime autem qui de domo Caesaris sunt.

[10] *Anastasis* — Anastasia et Basilissa Apostolorum discipulae fuerunt. Martyrolog. Rom. die 15 april. — *Ludibria adduntur*. Tac. XII, 44. Et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, atque ubi defuisset dies, in usum nocturni luminis urerentur. Fors hujusmodi suppliciis alludebat Juv.

Pone Tigellinum, taeda lucebis in illa,
Qua stantes ardent qui fixo gutture etc.

Ubi vetus glossographus sic interpretatur: Tigellinum si laeseris, vivus ardebis, quemadmodum in munere Neronis, de quibus ille jusserat cereos fieri, ut lucerent spectatoribus, cum fixa essent guttura, ne se curvarent. Nero maleficos taeda, papyro et cera supervestiebat, et sic ad ignem admoveri jubebat. Seneca, qui Neronis vixit temporibus, inter tormentorum genera recenset, ep. 14. Illam tunicam alimentis ignium et illitam et intextam.

[11] *Dictabat falsis* — Sic narrat Tac. Thraseae mortem, lib. ultimo Ann. Tum ad Thraseam in hortis agentem, quaestor consulis missus, vesperascente jam die. Illustrium virorum feminarumque coetus frequentes egerat, maxime intentus Demetrio Cynicae institutionis doctori, cum quo, ut conjectare erat, intentione vultus et auditu si qua clarius proloquebatur, de natura animae et dissociatione spiritus corporisque inquirebat. Igitur flentes, quiritantesque qui aderant, facessere propere Thraseas, neu pericula sua miscere cum sorte damnati hortatur, Ariamque tentantem mariti suprema et exemplum Arriae Matris sequi, monet retinere vitam, filiaeque communi subsidium unicum non adimere.

[12] *Scriboniaque arma* — Aria Mater uxor fuit Caecinae Poeti, qui in partibus scribonianis fuit contra Claudium. Ad mortem actus est, sed praeivit uxor semet feriendo, extractumque pugionem marito porrexit cum voce: *Poete, non dolet.*

[13] *Aspice, ait Silane*—Tac. ib. Porrectis utriusque brachii venis, postquam cruorem effudit, humum super spargens, propius vocato quaestore: *Libemus*, inquit, *Jovi liberatori*. Specta, juvenis, et omen quidem dii prohibeant: ceterum in ea tempora natus es, quibus firmare animum expediat, constantibus exemplis.

[14] *Hi sunt qui* —Apoc. VII, 13. Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt, et unde venerunt? Et dixit illi: Domine mi, tu scis. Et dixit mihi: Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni: ideo sunt ante thronum Dei; et serviunt ei die et nocte in templo ejus: et non esuriunt, neque sitiunt amplius, neque cadet super illos sol, neque ullus aestus, quoniam agnus, qui in medio throni est, reget illos, et deducet eos ad vitae fontes aquarum, et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.

[15] *Barnabas* — Quod Mediolanensem Ecclesiam instituerit, et in Liguria praedicârit Evangelium, Baronius et ceteri patres affirmant. Cum incertus sit locus dormitionis, Mediolani pro fide occumbentem facimus.

[16] *Pastor Apollinaris* — Ecclesiae Ravennatis memorias sequuti sumus.

[17] *Lazare* — Sic Ecclesia Massiliensis habet, antiquis rerum monumentis fide dignis innixa.

[18] *Purgavit* — Inscriptionem in Hispania repertam affert Baronius: Neroni Cl. Caes. Aug. Pont. Max. ob provinc. latronibus et his qui novam generi hum. superstitionem inculcar. purgatam.

[19] *Aegaeas* — Videsis lectiones Officii festo S. Andreae die.

PETREIDOS

LIBER XX.

ARGUMENTUM

Rerum luctuosarum commemoratione, et domesticis aerumnis consternatus poeta carminis seriem interrumpit — Paterno et materno cineri extrema solvit pietatis officia — Mox pignorum carissimorum subit memoria — Isque adolescentibus *Hernesto Tacconio*, et *Salvatori Sanseverino e Capua*, suis discipulis immaturo funere praereptis ponit memoriolam — Demum, ut quos vivos singulari observantia prosequutus est, mortuos grati animi testificatione complecteretur, *Nicolao Nicolini*, Jurisconsulto celebratissimo, *Basilio Puoti* rei litterariae neapolitanae benemerentissimo, et *Josepho Mezzofanti* et *Angelo Mai*, S. R. E. Cardinalibus, justa laudatione parentat — Sed e diverticulo in viam — De sempiterna Martyrum felicitate locuturus, Homerici Olympi in Thessalia, et Virgiliani Elysii apud Bajas meminit vates — Christiana Religione praeeunte, caelum, quod Beatis assignabant veteris Testamenti tabulae, Aligherius restituit — Sed Galilei speculationibus astronomicae rei ratione omni immutata, quanto majores causae sempiternam summi opificis immensitatem demirandi oboriuntur, vel si quis nostri solis systema tantummodo intueatur! Quodque mirabilius, tantorum solium, siderumque multitudinem, veluti genere, et numero, et fidelitate praestantissimum exercitum, supremi Imperatoris dicto obsequi — Quod si physicis communem

legem indidit Creator, hominem creatarum rerum principem suimet ingenii arbitrio reliquerit? Videant Heterodoxi, si sibi consentiant, ab Ecclesiae Romanae universitate desciscentes — Apocalypseos vestigiis insistens vates, supremam Hierusalem effingere conatur, quamvis terrenae imagines sive naturae sive artis, veluti nubes, illam divinae domus serenitatem obfuscare videantur — Extra anni solisque vias, caeleste templum manet, augustissima Divinitatis sedes, et beatissimum Caelitum domicilium — Supremum illum solem, qui serena luce circumfulgens beatissimam implet domum, mortali corpore induti praesentem semper sentiunt, in ipsoque moventur, et sunt — Sed divinae majestatis radios tantummodo, et veluti per obliqua et per aenigmata intuentur — Sed ubi caelesti civitate donantur, nativa deposita per divinam potentiam imbecillitate, gloriae lumen, sive Deus ipse Beatorum animis communicatur, eosque movet, illustrat, et sublevat, ut clare ipsum summum bonum, et summum praemium intueri valeant — Ideoque torrente voluptatum inundantur, *Deiformes*, ut ait Thomas, Divinaeque formae participes effecti — Per sempiternae lucis serenitatem, veluti stellae intermicantes, felicissimae illae animae discurrunt — Saepenumero ad geminam arborem, deliciarum et voluptatis causam, requiescunt — Ubi mentes vividiori semper lumine veritatis recreantur, corda divini amoris ardore aestuant — Aeternaque vita perfruuntur, Patrem et Filium cum Sancto Spiritu a facie ad faciem speculati — Ea primum sorte dignatur innumerabilis caelestium Spirituum multitudo, ac propemodum infinita — Qui in varios ordines distributi, sive perpetua adoratione Dei throno adstant, sive divina celebrant mysteria, sive variis legationibus, ministeriisque perfunguntur — Ejusdem gloriae haeredes effecti, et antiqui foederis justi Christum in paternum regnum redeuntem secuti, et perfecto Redemptionis mysterio, Christianae militiae ascripti, et Evangelii doctrinam professi — Pro suo quique merito, per varias mansiones in eodem regno distribuuntur — Ubi tamen sempiternus Sol ille manet, beatissimae vitae principium? Cum divina majestas nullis locorum, neque temporum terminis circumscribitur, Deus videri potest, comprehendi non potest — Specimen istiusmodi felicitatis et gloriae sevocatus a sensibus, inque caelum raptus vidit Paulus, neque minimam ejus partem oratione assequi potuit — Interea effuso Christiano sanguine Roma exultabat, at Justitia divina apud Patrem conquerebatur, cui caelestis Judex complendum numerum fratrum respondit — Sed Romanae Ecclesiae preces et lacrymae apud Diviparae solium perveniunt — Matrique oranti Filius certa Romae fata vaticinatur — Eique victoriae Matrem ipsam Auxiliatricis nomine interfuturam — Neque jam loqui desierat, e terrestri peregrinatio-

ne beatissimae Martyrum animae inter festiva Caelitum epinicia aeterni Regis aulam ingrediuntur—Et triumphali corona decoratae ad supremum Dei thronum deducuntur —Ubi caelesti lumine circumfusae immota acie conquiescunt—Sede suprema aetheris regione quinque Cherubim nigranti veste obvoluti procedunt, Divinae ultionis latores — Quibus universis terras petentibus, Dux in summo aëre consistit, eque patera sempiternae irae guttulas super Romam profundit —Comites, alium in orientem, occidentem versus alios migrare jubet, in Galliam, in Hispaniam, in Germaniam — Sed caelestis indignationis fulmen Roma prior experitur, pestilentia exorta, foeda primum pecori, mox hominum generi —Contagio longe lateque per urbem, per agros pervagatur — Multiplici clade foeda civitate, nobilissimi quique in villas dispescuntur — Roma primum ululatibus et lamentis oppletur, mox aegritudinis violentia fit vasta et deserta — Christiani qui proxima insectatione sese in tuto receperant, Romam redeunt ; periculo evasisse invicem gratulantur, socios abreptos lamentantur — Et Eune ex Apennini latibulis regressa, vacuas aedes, Petronillae, et Plautillae obitu, comperiens, questu omnia complet, rectaque ad Lucinae, quo sanctissimi cineres erant consepulti, contendens, acerbissimum animi dolorem effundit — Petrus, primoribus in consilio habitis, de praesentibus Romae aerumnis colloquitur — Supervenit Paulus, et quomodo, Aegysti tribuni auxilio, periculum declinârit, narrans, Comites exhilarat — Demum una voce consentiunt, Romae laboranti opitulandum — Deoque gratias agunt, quod se praecipue ad tanti opus ministerii elegerit — Pomponiae et Lucinae aedes in valetudinaria convertuntur — Per singulas regiones certus procerum numerus praescribitur, qui aegrotos colligant — Pro Roma, proque Nerone ipso ferventissima vota nuncupantur — Nullis interea impedimentis coercita contages urbem, et viciniam depopulabatur— Et Ethnici, pessimo publico, omnium flagitiorum coeno et sordibus inquinantur — Miseri et insepulti acervi civium incultum horridumque urbis aspectum faciunt — In summa rerum desperatione, placuit per legatos Apollinis oraculum consulere — Qui celerrima navigatione Delphos veniunt, vimque auri ingentem Sacerdotibus offerunt — Sed caesis victimis, cum Delphicum responsum flagitaretur, paupertate et sordibus squalida muliercula pro tripode sedit —Quae, visis Romanis, immisso veluti stupore, conticescit — Renuitque dudum loqui — Mox crebris fatigata interrogationibus, et minis coacta, divino instinctu afflatuque, numen ignotum mirabunda ait, de innocuo Christianorum sanguine poenas repetere — gravissima Romae et Neroni impendere — Legatis iniquissimo vaticinio attonitis, ipsa etiam arcanae confessionis

conscientia exterrefacta in antrum refugit — Romam redeunt legati, jam fracti animis, et corruptam vatem blaterant, sed privatim inter amicos verba gravissimae responsionis patefaciunt — Timore quamvis compressus rumor, per urbem disseminatur — Saeviente vi morbi, acrior Christiana caritas exardescit — Petrus parabolam narrans de viatore vulneribus per latrocinium confosso, inflammat animos, nec dubitanter Christiani omnia adeunt pericula — Mirandum praecipue matrum exemplum undique advolantium, ut medicinam, et solamina afferrent — Interea ex Oriente venerat Iphitus — Qui prima die, ignotus, et ira Caesaris anceps, Pudentis domum petebat, Petrum natamque complexurus — Sed medio in foro pestilentia corripitur — Quae regio forte Hermo obtigerat, isque aegrum humi jacentem sublevat — Mutuo recognoscuntur, et ubertim flentes de Eune verba interserunt — Humeris suis aegrotantem Pudentis domum Hermus exportat, eumque Dionysius, et Petrus ipse omni curarum genere reficiunt — Sed Iphitus, animo pauxillulum resumpto, nihil sibi gratius fieri posse ait, quam praemium tantae virtutis Hermo persolutum videre; et Sanctum Pontificem orat, uti ad aram sponsos solemniori ritu jungat — Volens libensque sacra facit Pontifex, nuptias celebrat, Iphitum sancta laetitia suffusum sacro reficit Viatico — Et chrismate delinit — Jamque ingravescente morbo, Dionysio, et Petro orantibus, animam Deo reddit — Debitis naturae exolutis, sponsi migrare in Asiam jubentur — Sed cum et per ignaviam civium, et per morbi violentiam omnino desperandum esset, ad caeleste auxilium confugere Petrus arbitratur — Solemniora sacra indicit, totamque Romanam Ecclesiam cogit — Pro salute urbis ferventissimae preces instaurantur — Deiparae patrocinium advocatur — Continuo vis ingens imbrium ingruit, ventisque reflantibus gravis aer ejicitur — Pestis derepente mansuescit — Jamque spe firmata, undique fit reditus ad urbem — Ipse redit Nero ingenti comitatu — Sed Christianae caritatis opera et Eunes nuptias audiens novo in Christianos odio inflammatur.

At me Christiadûm infortunia dira canentem
Funereae revocant curae, tristesque camoenas,
Laurifera exutas vitta, redimire cupressu
Ferali cogor. Neque sanctum incedere carmen
Ulterius linquunt laniati vulnera cordis.
Siccine me, Mater [1], linquis? super ipsa manebas
Unum solamen, cum inopino funere natos
Deseruit Pater: ipsa etiam nos deseris? eheu!
Vivere dulce mihi, vobis viventibus: ambo
Non intermissis spatiis disceditis? ast mî
Quae poterit ratio ingentem lenire dolorem?
Hoc vocis quodcumque meae, hoc quodcumque benigni
Ingenii vestris curis ego debeo, vobis
Quod potero tantum, gratos testabor amores.
Qua primum incoepit campana patescere vallis,
Parthenopen et rura inter, quae fertilis arvi
Ubere Romulidae dixere Leboria, pagus [2]
Tramite clivoso surgit, cui vertice calvo
Forma viri venit in titulos, et nomina praestat.
Hac vobis tuta placuit consistere sede.
Magna domi fortuna fuit, sed tristia bella,
Civilesque irae ingenti rapuere tumultu

Omnia, et incaluit virtus ardentior, atque
Mens rebus major mediocribus. Unica vobis
Cura fuit sancte crescentem educere pubem,
Majorum exemplis. Vitae praelata modestae
Simplicitas, modo secretis penetralibus illa
Ver ageret tutum. O veteris venerande Dicarchi
Pastor, Rosini [3], te nulla oblivio nostris
Eximet ex animis. Turpi urbs squalore, situque
Obsita jamdudum subita exardescere luce
Visa, heu! te extincto, in tenebras reditura vetustas.
Partibus e regni variis concurrere pubem
Ingenuam, spreta vel principe vidimus urbe.
Vidimus ingenti cunctos certare palaestra
Palladis, et Sophiae fontes tentare repostos.
Tantum sedulitas, tantum sapientia gnavi
Docta Magisterii, tantum pastoris amati
Sollicitudo vigil potuit! tot germina plantas
Insignes genuere, alio quae sidere vectae
Nativo fecere solo mirabile nomen.
Tum vero ingenuae primo fervore juventae
Audacem, junctus materna ab origine gentis
Lupulus excepit, veterum pulcherrima imago
Pontificum, meritis ingens, virtutibus ingens,
Praeterea gazis doctrinae dives opimis.
Praesulis auspiciis tanti laetata Salernum
Me vidit juvenem juvenilia castra docentem
Artes ingenuas. Strepitu submotus ab omni,
Lupule [4], te monstrante viam, flammisque ciente
Irrequietam animam, majora volumina patrum
Volvebam juvenis gressus per amoena vireta,
Romula quae servat, servat graecanica pallas.

At me littoribus nequiit retinere remotis
Vester amor, doctas curas abrumpere cogor,
Et vos et patriam viso: tum magna recepit
Parthenope, et vidit studiorum ex ordine texta
Fila retexentem; doctum proludere in umbris,
Parietibusque domus, in aprici gramina campi,
Pulvereum in solem tentamina prima vocârunt,
Et mihi quod summo monstrat Deus aethere, sanctum
Officium sector. Juvenum stipata corona
Ambiit ingenuas tractantem Palladis artes:
Ipse meos et amo juvenes et amarier illis
Sentio, nulla mihi fuat altera gloria major:
Haec mea regna puto. Et felicia regna fuissent,
Uti si vestro potuissem longius ore,
O Pater et mater, mihi dulcia nomina semper!
Vos peregrinantem, ceu mitia sidera, laeto
Lumine rexistis; tuta statione receptum
Vos me custodes gremio fovistis amato.
Et mihi nil potius, mihi nil jucundius usquam,
Quam collaudari a vobis, vobisque placere:
Et placui vobis, atque haec mea sola voluptas.
Ut te commemoro gravibus, Pater optime, curis
Hygaeae functum, nostris haerere volentem
Alloquiis! quanta mactus virtute micabas!
Egregium vitae extabas exemplar honestae,
Nec matutinas crebro deflexus ad aras
Orabas aliud Superos, quam cernere Natos
Virtutis studio claros. Teque, optima Mater,
Atque tuos nunquam porro obliviscar amores.
Dum me Petreidos studiis incensa tenebat
Cura diu, ah! memini, gressu te saepe silenti

Inspexi nostras inopinam accedere ad aedes
Suaviter hortantem, ut sera jam nocte morarum
Injicerem spatium, defessaque membra levarem.
Et cum mendaci probitatis nomine tecta
Invidia (heu! cuinam vicibus resoluta superbis
Parcit seditio, justi injustique tenore
Confuso temere?) probitatis nomine falsa
Invidia innocuae turbaret munera pacis;
Ipsa animo natis aderas praesentior, ipsa
Alto sollicitum condens in corde dolorem,
Vultus assimulans hilares, ne justior ira
Surgeret, aerumna consolabaris iniqua.
At nunc bissenis superant solatia natis,
Quod non indecores vobis sperata tulerunt
Gaudia: vidistis vestram exornare senectam,
Vidistis sancto officio certare vicissim,
Ut vita omnigeno vobis fulgeret honore.
Quid super in terris fuerat? circumdare vestrum
Natos vidistis thalamum, neque funeris hora
Vestri oculi quidquam terris cupiere relictis.
Nunc vobis, jam certa sedet fiducia, cunctis
Cognita Relligio caelestes annuit arces.
At vestra effigies labetur pectore nunquam,
Vestraque primaevis quae jussa recepimus annis.
Hic honor, hoc vestris servabitur ossibus ingens
Obsequium, vestros mores, vestramque sequemur
Virtutem. Sic praesentes venerabimur omen
Propitium, et priscum generi servamus honorem.
At mihi narranti tot damna domestica, crescunt
Ingentes curae, moestique inopina calescit
Cordis amarities. Alii mea carmina luctus

Jure sibi poscunt. Quos dulci semper amore
Viventes colui, postremo munere mortis
Donabo, et memori saltem sacrabo querela.
Non illaudatum te nostra, HERNESTE [5], Camoena
Praetereat, jucunde puer: si fata fuissent,
Ut non ter quino vis inclementior anno
Incoeptum rapido secuisset turbine cursum,
Gloria TACCONIDUM quanto crevisset alumno!
Flet pater extinctum miserando carmine; flevit
Externata parens, tristes flevere sorores.
Ast ego te flevi casu perculsus acerbo,
Spesque interceptas, specimenque insigne benigni
Ingenii flevi; neque laetae frontis honestas,
Nec facile eloquium, neque gnavi cura magistri
Aut potuere meo aut poterunt abscedere corde.
At gravius suberat vulnus; maturior aetas,
Tutior et fructus maior mihi causa doloris.
Alter erat juvenis [6]: steterat vicesimus annus,
Socraticis pectus studiis replêrat honestum.
Proh! quae ridenti laetissima somnia mente
Fingebant Pater, et Genitrix! erat una virilis
SANSEVERINA Proles de gente superstes,
Atque pius rectique tenax permulta ciebat
Vota puellarum, matrumque innoxia vota:
Ast aliter visum Superis, et funere in uno
Absumpta interiit, titulis, sceptroque decora
Gens vetus Italiae. Juvenis, dum casta manebat
Mens, purusque animus, terrena ereptus ab ora est,
Ante impollutos quam humana malitia mores
Inficeret. Justos gemitus cohibete, Parentes:
Nesciret tellus vestro dare gaudia Nato,

Quae dedit Omnipotens caelesti praemia regno.
At tu praereptus nobis, si tempora vitae
Metimur, senior, si publica vota, bonumque
Nomen amicitiae, longo dignissimus aevo,
NICOLINE [7], tui gratum cape munus Amici.
Flexanimae pollens facundo flumine linguae,
Et Themidis praedives opum Sophiaeque repostae,
Italiae quantum veteris mens protulit alta,
Atque novae quantum Ausoniae instaurata creârant
Ingenia, ardenti capiebas pectore. Regni
Munera per varia ingressus, fastigia summa
Contigeras: quo major eras, tibi gratia major,
Major simplicitas, eadem constantia cunctis
Temporibus. Nusquam caperata fronte superbus,
Nunquam difficilis, notis mage carus amicis,
Comis et urbanus semper: studiosa juventus,
Perrarum exemplum! Senioris amabile semper
Colloquium optabat. Te lugens patria ademptum,
Extremum ingemuit sidus pallescere: quaerit,
Nec reperit veteres juris legumque peritos.
Nec minor obtingit, BASILI [8], tibi adorea laudis.
Proh! quantum tellus debet tibi patria! quantum
Ausoniae tellus! superabant tristia signa
Servitii, externae voces, discordia turpi
Ora sono, nostrae maculataque gratia linguae.
Unus pugnando nativam restituis rem.
Aurei tu monstras sincera volumina saecli;
Tu juvenum ingenium flammis accendis honestis,
Atque peregrini contagia lata veneni
Avertis, primusque vigor naturaque pollens
Parthenopae hetrusco coepit ridere lepore.

Argolicas tantum veneres veneresque latinas
Miranti mihi, tu ausoniae molimina musae
Monstrâsti, teque adspexi, didicique magistro,
Italiae veteri Italiam certare recentem.
Heu! nos magna tenet nostrarum incuria rerum!
Nondum grata tibi monumentum insigne locavit
Patria. Si seri tua tot benefacta Nepotes
Perlegerent, melior de nobis fama maneret.
Salvete, illustres animae, clarissima Romae
Lumina, purpurei decus immortale senatus,
O Mezzofanti [9], et Mai [10]. Non splendida aviti
Nobilitas generis, non rebus magna gerendis
Dexteritas, sacri non publica munera regni
Reddiderunt cunctis vestrum venerabile nomen.
Unica parturiit tantam sapientia famam,
Quam fovit pietas, nostroque potentius aevo
Ingenium. Tibi, *Joseph*, incunabula tellus
Felsinae; fama majorem maxima Roma
Obstupuit centum linguas magno ore sonantem.
Te vidi Romae, et colui: te saepe loquentem
Ingenti audivi studio; sed mente sedebit
Ille dies semper, medium quando agmine denso
Matronae circumdederunt, sua quaeque resolvens
Ora sono, facili respondens ipse loquela
Intentas omnes diversa voce tenebas.
Communi majora fide nos vidimus: aetas
Postera prodigium fortasse incredula spernet.
Nec Te quem Tullî fecit Res publica clarum,
Unquam obliviscar: nec natum diligit ardens
Ardentem Pater, ut sancto me amplexus amore es.
Me tibi tradiderat gnava curatus opella

Virgilius, pastorali dum carmine pubem
Ausonidum allicerem nostras describere silvas,
Nostros pastores, moresque et gaudia, et aras
Pompasque et lusus festiva dicere avena.
Ex illo notum nulla intervalla locorum
Demisere animo. Seu princeps Roma teneret,
Seu peteres laetus ripas Sirenis amatae,
Cura fuit mihi prima, mihi quaesita voluptas
Consiliis pendere tuis. Te opera inclyta patrum
Volventem, et sacrae monumenta abstrusa minervae
Mirabar: tanto sapientia fonte scatebat,
Ut mihi vox presso stupefacta haereret in ore.
Munus servo tuum, quae nostris ipse notabas
Carminibus Censor: quovis mihi carius auro,
Atque tuae monumenta manus servare nepotes
Jussero. Tu tantam ardebas producere vitam,
Ut nostro cura extaret perfecta labori.
Auspicium infelix! nimium tibi vera loquenti
Dictabat timor! In lucem prodire, virûmque
Doctum judicium, te vivo, nostra subire
PETREIS haud potuit. TE in Anastasis aede sepultum
Conveni, et vivo spirantem marmore vidi
Inflexum genibus tua scripta volumina sanctae
Praebentem Triadi: haec fuerat meta unica scriptis,
Innuit haec eadem signato carmine sculptor.
Semper avete mihi, semper mihi cara valete
Nomina! surgenti non ipse applaudere soli
Assuevi tantum: conspecto laetus euntem,
Atque ipso occasu creperi fugientia currus
Lumina contemplari aveo, radiosque saluto
Extremos, animo primum memori jubar aureum

Nunquam obliturus. Vestras non territus urnas
Aufugio: nostros viva usque manetis imago
Ante oculos, vestrique sacras reminiscor ad aras.
At me tollit humo suscepti carminis ordo:
Ardua sunt tentanda, hominisque abstrusa loquelis.
Quis nunc ingenio pernices astruet alas,
Qua me terrena expediens caligine caelo
Assurgam, diaeque domus incognita tangam
Moenia, quae dextra ipse sua construxit, et ipse
Omnipotens habitat rerumque hominumque creator?
Aut aciem humanam supra fugientia, mente
Concipiam audaci, caelique abstrusa recludens
Per populos pandam decora immortalia, cunctosque
Alliciam visus patriae caelestis amore?
Graecia thessalici praecelso vertice Olympi
Numina constituit, caelestemque extudit aulam
Terrenae assimilem, qua structa palatia centum,
Et celsa imperia, et famularia munia divûm;
Et coetus hilares, cantatricesque choreae.
Mox aegyptiacae miscens insomnia mentis,
Et quae Chaldaei superos videre per orbes,
Suspiciens convexa poli, et fulgentia cernens
Sidera per sudum variis rutilare figuris,
Aethereos transduxit olympia numina in orbes,
Sublimemque viam candentis imagine lactis [11]
Concessit Superis, magnam quaerentibus aulam.
Ambiguae mentes sibi dulcia somnia fingunt,
Unde potens vates, quem Romam Mantua misit,
Bajanos puro vestitos aethere colles
Credidit Elysios, et fortunata piorum
Concilia, et sedes per amoena vireta beatas [12].

At nos edocuit dio Sapientia verbo,
Et quo Jessides [13] se ignita mente ferebat,
Nos revocat caelum, caelum quo gloria fulget
Mira Dei, quo Christiadûm spes una moratur.
Pulsus ab ingratis sic Dantes civibus, exul
Magnanimus, superos, diva praeeunte, per orbes
Scandit, concordi vidit volventia motu
Sidera, majori vidit rutilantia luce,
Impetus ut superum editior raptabat in orbem,
Concentuque novo nova regna sonantia semper,
Ut cumque illustres animas felicior auctis
Virtus luminibus propria regione locaret [14].
Ex quo Vir thuscus [15], mediceae gloria gentis,
Praegrandes oculos humanae adponere fronti
Ausus, et aethereos speculari cominus orbes,
Quam sordet tellus caeli convexa tuenti!
Amotis licuit nebulis agnoscere nostri
Hanc mundi speciem: caelum nitamur in altum,
Ire juvat, magni mysteria pandere regni.
Daedala dum rapido sese per inane volatu
Circumagit tellus, solio ceu rector in aureo
Sol sedet immotus, vasti lux publica mundi.
At quot magnificum volventia sidera regem
Circumdant! ingens solis comitatus aguntur
Ipsa, sed ipsa etiam famulatu ambire minori
Cernunt innumeros ignes, flammasque sequaces.
Septem prisca aetas per inania lata planetas
Conspexit; nostris superam speculantibus aethram
Quinquagena patent, et fors, volventibus annis,
Majorem numerum solerti indagine noscent.
Quid referam errantes vacuum per inane cometas,

Gaudentes populorum oculos suspendere, captos
Ingentis splendore comae? nubesque vaporum
Versicolor sequitur, semper formaque viaque
Dissimiles nostro tantum monstrantur in orbe,
More peregrinûm, atque alio vestigia torquent,
Lustraturae alios forsan, nova sidera, soles.
At vix igniferi haec nobis plaga lucida solis
Nostra patet regio: propria si regnat in aula
Rex lucis, caelumque suum, sua sidera ducens,
Extra anni solisque vias est altera porro
Mundorum series, neque nomina novimus ipsa:
Ast oculis longe amoti lateque coruscant
Innumeri soles, quibus altera sidera, stellae
Sunt aliae, caelumque suum, sua regna peragrant.
Ceu medio Ausonidae quod saepe vocavimus aevum,
Majores reges ibant, comitante minorum
Concilio procerum: solio ornamenta potenti
Ipsi aderant, certis domini qui deinde praeessent
Ipsi etiam regnis, signisque aulaque decori;
Haud secus aetherei per caelica templa potentes
Primores errant: comitatur turba satelles
Majores Dominos. Neque porro exercitus ingens
Ordine majori campis procedit apertis,
Si quando suprema ducis mandata vocârint.
Sidera volvuntur, varioque tenore sequentes
Volvuntur stellae: primo pars surgit in ortu,
Vergit ad occasum pars altera: lentior illa
Signatos peragit cursus, velocior ista
Deproperat: sua quaeque per intervalla locorum
Distincta incedunt, nulla impediente sororum
Qua via cumque vocat, cunctas. Sic mobilis horae

Machina, si parvis liceat componere magna,
Adversis spatiis varios interserit orbes;
Volvitur alternis radiorum argenteus ordo,
Qua primum impulerit motum velocior axis.
Concentum insignem, fixo immotoque tenore,
Concordem, attonita suspexit mente BORUSSUS [16],
Quo nullus nostro extabat solertior aevo.
Ornatus varios, queis nostrum vestiit orbem
Omnipotens opifex, animo explorare sagaci
Ausus, terrarum et tractus, variumque locorum
Ingenium, atque specus ponti penetrare repostas,
Stellarumque pares cursus, caelique meatus,
Omnia constantes servantia foedere normas,
Omnia supremos Patris complentia nutus
Obstupuit, librisque stupor commissus inhaesit.
Eja age, DOCTE SENEX, si rebus tanta creatis
Indita suprema fuerit constantia lege,
Et cuncta incedant magnis parentia dictis,
Humanas animas, quo nil praestantius Auctor
Condidit, ambiguo flexas errare reliquit
Dissidio? Nonne obscuris abscondita vera
Mentibus ipse pater dederit? Pia vera retexit
Omnipotens, Romaeque manent. Germania quidnam
Nutat? quid tendit veraci occludere luci
Incertos oculos? Studiorum millia cerno,
Quot capita; humanae tantum concordia menti
Defuit? Immissas servant caelestia leges
Sidera; perrumpet ratio divinior, acta
Turpiter arbitriis rerum servire caducis?
Quis circumfusos suspendit in aethere mundos,
Libratosque suo constanter foedere servat?

O Sator omnipotens rerum, o ipsius origo
Naturae, qui cuncta moves, qui cuncta gubernas,
Qua te sede tenes? qua te regione requiram?
Quamvis omniparens tua praesens omnia comples,
Aethere te perhibent majori effulgere luce,
Atque tuam statuisse domum, propiusque beatis
Caelicolûm ordinibus divinum ostendere vultum.
Supra axes mundi, supra quodcumque creatum est
Altius ascendam. Magnum et mirabile porro
Est iter; at quamvis lateat, fugiatque videri,
Mortali quae frustra acie deprendere quimus,
Certa fides sancti pandit mysteria regni.
Avia quandoquidem peragro loca, dirige vatem,
Sancte Senex [17], qui praerupta sustollere lumen
E Patmo potuisti: Aegaeis te ambiit undis
Romula barbaries: sed inhospita littora silvasque
Horrificas fugiens, mira dulcedine lucis
Perfusus, celeri et mentis super aethera penna
Enâsti, et summo gaudens succedere soli,
Viventi inconcessa homini mysteria rerum
Vidisti. Te felicem! nunc aurea caeli
Regia habet, praesens supera spatiaris in aula;
Qua tu veridicas pingebas saepe figuras,
Insigni e tabula veros haurire colores
Discipulo liceat, nec gloria parva magistrum
Tantum pone sequi, et veras ediscere voces.
Trans mundi fines, trans ultima sidera caeli,
Et qua firmato dependet cardine moles
Naturae omniparens, gyroque immota perenni
Sidera signatos caelorum obeuntia cursus,
Jerusalem divina jacet, domus inclyta pacis

Laetitiaeque domus, regis magna aula superni [18].
Fundamenta urbi ipse Deus bissena locavit:
Moenia fulgenti innituntur iaspide, stellis
Intertexta aureis, clarisque incensa smaragdis.
Bissenae lucent portae per moenia: porta
Quaelibet e solida gemma perfecta coruscat,
Et plateae radiant auro, translucida qualis
Crystallus, primo si sole oriente rubescit.
Ne templum quaeras: templi radiantis imago
Urbs est tota tibi dia circumflua luce.
Anne per aethereos, felicia regna, recessus
Commemorem laetum soli succedere solem,
Et jubare insueto aeternam virescere veris
Aeterni speciem, et praeculta nitescere Tempe,
Et paestana novo ridere rosaria cultu,
Et sata septeno quae perluit aequore Ganges
Pinguia, sive potens quae jactat America passim
Flumina montanis in praeceps acta scatebris,
Discolor unde auro similes trahit aura colores?
An centum eois fulgent fabricata tyrannis
Limina, centum aulae, centum pomaria rivis
Roscida fertilibus? Terrenae abscedite formae:
Naturae omnigenae hic taceant decora inclyta, Rector
Queis Superûm excupiit divina prodere dextra
Divini indicium pulchri: monumenta recedant,
Queis calida artifices valuere effingere mente
Naturae vultum atque hominum, variisque figuris
Ipsas naturae vires pervincere visi,
Et laudes propius magni monstrare Satoris.
Anne ego terrigenûm mores prope cernere honestos
Conabor, verasque animis depromere voces?

Quidquid justitiae, quidquid pulchrique bonique
Emicat in terris, hominem sibi imagine dia
Allicit actutum: caelo exultare videmur,
Sicubi nobilius quidquam mortalia tangit
Pectora: sed diae tantum vestigia formae,
Sed diae vix aspicimus velamina vestis,
Quod pulchrum atque bonum terris, justumque vocamus.
Sordida materies telluri affigere sueta
Diae particulam auraï, et sublimibus actus
Immiscere humiles caelesti abscedit ab aula.
Quid si justitia ipsa micat, pulchrumque bonumque?
Quid si divino sol lumine circumfusus
Spiritus omnipotens mortalia tegmina, formas
Eripit humanas? Fortunatissima turba
Spirituum ingenia inducunt, regesque feruntur [19],
Atque Deo similes: transformat imaginis instar
Ipse suae Deus, ut pleno si se admovet igni
Bractea durescens, propiorem concipit aestum
Paullatim, inque novam visa est migrare figuram.
Sidereas animas lumen caeleste tuentes
Occupat ignipotens virtus, lustratque fovetque,
Consortesque sui coeptis ingentibus aptat.
Et qualis sine nube Deus, gens incola caeli
Miratur, lucemque haurit: stat lumine viso
Gloria, stat sine fine quies, sine fine voluptas.
Qua plaga vividiore rubet nitidissima luce,
Stat gemina aethereas frondescens arbor [20] ad auras,
Auratis fulgens foliis, aurataque fructu
Brachia multiplici renitent. Libare sapores
Aethereos urget mortalem magna cupido;
At frustra: aethereos geminas transduxit in hortos

Omnipotens plantas, ex quo malesuada libido
Pestifero infecit mortalia labra veneno:
Dius amor proprias atque hic sapientia sedes
Seposuit, vita unde piisque scientia manat
Ordinibus. Patulo ramorum tegmine sistunt
Laetantes animae, vitaeque aeterna beatae
Libamenta trahunt nullam sensura senectam.
Et corda et mentes aequo procedere gressu [21]
Exultant: sitiunt pariter, pariterque perenni
Fonte sitim exaturant, et laeta sorte fruuntur.
Ergo caelestis nova semper spicula amoris
Expertae, atque novo perfusae lumine veri,
Quo studium, quove ingenium, quoque insita quamque
Vis rapit, incedunt ultro: nunc luce quiescunt
Auriflua, et longe submoto sole morari
Attonitae gaudent, mysteria magna videntes
Tergeminae gremio Triadis celata beato;
Nunc erumpentem patria virtute vigorem
Conspectare juvat, patremque immota locantem
Moenia mundorum, pariterque creata regentem,
Adstat dum lateri consors Sapientia Nati,
Atque impermixto Spirabilis aura calore
Conspirat, quo cuncta vigent, quo cuncta moventur [22].
Noluit Omnipotens vacua dominarier aula.
Omnis materiae expertes, et acumine mentes [23]
Ornatas dio, atque immunes morte creavit,
Constantesque sibi partes complevit in omnes,
Et regni statuit prima ornamenta potentis.
Millia myriadum [24], officiis distinctaque certis
Nominibus novies, vastis versantur in aulis.
Pars quorum ardenti nant lumine circumfusi.

Inque auctore Deo, per quem sunt omnia facta [25],
Aeternas spectant caussas speciesque sequaces.
Quamvis naturae lateant superantia nisus
Plurima, saepe Parens infusa luce revelat,
Ceu puro in speculo, majorum abscondita rerum:
Qua freta lata micant veluti crystallina luce
Aurata, et medio assidue splendore coruscant;
Et dium lustrare thronum propiusque beata
Immotas acies gaudent defigere flamma,
Et summi laudes varias celebrare parentis.
Quo satagam eloquio vestros effingere cantus,
Aligerae mentes? aut quae modulamina lectis
Assultant citharis? nec Psaltes regius olim
Tam dulci strepitu movit testudinis aureae
Concordes nervos. Sanctis e vallibus Echo
Suaviter erumpit, parilique immota tenore
Sidera sideribus concordi murmure plaudunt.
Pars mandata Dei exequitur, seu vindicis irae
Seu populis laetae praeportant nuntia pacis.
Sicubi bella ferunt, sunt denae et mille quadrigae [26],
Scutaque, loricaeque, et terrenae inscia fraudis
Spicula, terrorisque minae, lethique figurae.
Ingentem frustra numerum comprendere sperem.
Custodes servant alii, quaecumque creatrix
Effecit manus: hi praesunt radiantibus astris,
His tumidi fluctus, his paret daedala tellus [27].
Ast alii variis terrarum finibus adsunt;
Quin etiam imperiis [28], quae totum multa per orbem
Terrigenae statuere, viarum ignota sequentes
Inconcessa homini, venientia saecla parârunt,
Et nunc praecipuo moderantur numine Christi

Legatos ortae jaculantes tela diei,
Atque adstant sacris, melioraque tempora ducunt.
Atque utinam humanae melior prudentia menti
Afforet! Huc primi veniunt persaepe parentes,
Bissenasque tribus censent, genus omne nepotum,
Quos segni insontes jamdudum nocte sepultos
Passa Dei soboles superas eduxit ad arces.
Quique ducemque suum gentemque tribumque sequuntur,
Omnes Isacidae, paribus sub legibus omnes,
Omnes signatis procedunt frontibus, atque
Circuitu ingenti complentes maxima summi
Regna Redemptoris, solium se effundere ad aureum
Exultant, numerisque replent supera alta canoris,
Et generis Regem servatoremque salutant.
Praecellunt patres populorum, exordia gentis
Humanae, et primis tutati arcana diebus
Divini vera eloquii: tum deinde sequuntur
Seu qui promissis laetae Caanitidos oris
Duxere errantem populum, seu voce prophétae
Clarisona numen terris cecinere futurum,
Et qui pugnando pulcherrima vulnera passi,
Et qui semotis vitam duxere sub antris,
Dulcia caelestis quaerentes pabula vitae.
Innumerae matres, quas extulit ignea virtus,
Aut ingens rerum aequavit prudentia caelo,
Gaudent terrestris potare oblivia vitae;
Et quibus intacto praecellere flore juventae
Virginibus placuit, viduaeque intacta tuentes
Foedera conjugii; et bellaci laude virili
Certantes generi magnis versantur in aulis:
Quas inter paucae meliori sorte videntur

Praelatae, et sancta, si fas sit dicere, visae
Invidia, prognatae animae melioribus annis,
Quae sobolem aeternam Solymis videre morantem,
Et nova surgentis ponentem foedera mundi;
Et sancto haeserunt lateri, et mysteria magna
Videre implentem, et genus obstupuere redemptum.
Et qui Christiadûm primi praestantibus ausis
Per gentes cecinere pium, indelebile nomen;
Et qui veraci pro Relligionis amore
Regum aspernati procerumque minacia jussa
Praetulerunt potius felici occumbere morti.
Hic vero stellas cernis fulgere nitore
Innumeras, cernis sata florum germina prima,
Cum puerum Jesum tota quaesivit in ora
Perfidus Hebraeus: rapidus demessuit ensis
Martyres, at pietas caelestem eduxit in urbem.
Praecipue ante alios commota fronte relucent
Christiadûm auctores, qui effuso sanguine verum
Testati: quot quot Solymis truculenta peremit
Seditio, palmis radiantia tempora cingunt.
O fortunatos nimium, nimiumque beatos!
Gaudia summa ollis, aeternaque gloria Trinum
Posse videre Deum: cunctis majorve minorve [29]
Pro meritis sanctae obtingit pars tradita lucis:
Et quem mortales obscuro aenigmate [30] cernunt
Per speculum, facie ad faciem, propiore tuentur
Obtutu, et sancto saturantur lucis amore.
Dum magna ardescit variis splendoribus omnis
Sedes, dum pleno funduntur lumine cuncti
Caelicolae, plenoque natant ceu fonte beatae
Laetitiae, persaepe trahit bene suada cupido

Qua propius diam lucem, solia aurea, sedes
Assurgunt geminae, qua diae humana coruscat
Addita naturae, penitusque affigere gaudent
Securas oculorum acies, pascique fruique
Sanctis illecebris, et amati lumine vultus,
Unde omnis pendet terrenae gloria sortis.
Aeternus Genitor, caeli e regione serena
Tempora dispensans secretaque foedera mundi,
Ut Natum, quîcum dextra omnipotente creârat
Omnia, cumque Deo Deus omnia numine complet,
Morte triumphata superas conscendere ad arces
Vidit, Justitiae et satis omnia facta petenti;
Constitit, et sancto delibans oscula Nato:
Ipse gubernator populorum maximus, inquit,
Aeternus stabis judex, humanaque sistes
Arbiter imperia, et mundos moderabere cunctos.
Hic immortali Jesus stat corpore, dia
Majestate micans: regisque insigne verendum
Stat prope, divini sanctissima foederis ara [31],
Et Crux, et fusi pretia infinita cruoris,
Et super arcanis formis insigne volumen [32],
Quod potuit caelo et terra reserare potestas
Nulla hominum: signis tandem nunc extat apertis,
Inscriptaeque tribus omnes, populique frequentes,
Quos spes, quosque fides in caelica regna vocaret.
Nec procul hinc triplici crines redimita corona
Mater adest, generis fortunatissima nostri
Gloria, quam simili collucens lumine circum
Regia majestas ambit: mortalibus oris
Evectam, insignem sublimi sede locavit,
Et rerum statuit dominam caelique potentem

Omnipotens Rector. Matrum ter maxima Mater,
Ulta genus lapsum, genus ipsum ad sidera vexit,
Atque novum caelo jubar et nova gaudia fecit.
Praecipue vecta huc cunctis suspiria terris
Adscendunt: audit cunctas miserata dolores
Divipara, et justas emollit Judicis iras.
At qua divinae lucis fontemque domumque
Invenias? Visus quo extollimus altius aegros,
Principium rerum neque quisquam mente capaci
Concipere evaleat, neque veris pingere dictis,
Cui nullum, aut prorsus non enarrabile nomen [33].
Ut tamen incoepit sub sensus ire creatos,
Et globus ignivomo fulgescit flumine lucis,
Objecta qualem nebula fas cernere solem,
Iris tergemina translucet imagine fulgens.
Qui fuit, est, et erit semper, sibi terminus unus,
Unus principium, finisque et temporis exors,
Clarius hic longeque suo se lumine prodit.
Hic Pater aeterna se in semet mente reflectens
Concipit ipse suae foecundus imaginis instar
Progeniem aeternam. Hic et amor Natique Patrisque [34]
Numine procedit juncto, Spirabilis aura.
Una tribus par majestas, par gloria, et unum
Omnipotens, immensum et inobservabile numen,
Principium sine principio, sine fonte profusum
Auriflui jubaris torrens atque omnia complens.
Hinc oculis sese immortalibus explicat ingens
Lux: primum hinc fluitans divinae praenatat urbis
Porticibus sacris, auctuque novata perenni
Mille trahit varios adverso sole colores.
Corpore mortali degens mortalibus oris

Tarsensis quondam celeri super aethera mente
Abreptus potuit sublata nube tueri
Lucis inaccessae jubar, immemorabile lumen.
O felix! reduci quanto flagrabat amore
Cor saliens! quanta capti dulcedine sensus!
Attamen epotus tam largo flumine lymphas
Divinas nequiit mortali visa referre
Aut exaudita eloquio [35]. Percurrere sedes
Ausim ego Caelicolûm, summoque accedere soli?
O lux aeterna, o statio placidissima pacis,
Qua mens, qua propria requiescit sede voluntas,
Affer opem, nostrisque potens allabere coeptis.
Tu via, tuque viae ratio: te pectore toto
Accipio: tibi honos, tibi laus, tibi gloria soli.
Tristia dum interea maculabant funera Romam,
Effera barbaries et inexcusabile crimen
Vim caelo fecere: acri stetit icta dolore
Justitia, e multis formosa sororibus una,
Quae divino adstat solio, magnoque Parentis
Agglomerat sese lateri, quacumque Creator
Incedit, caelum imperio terrasque gubernans.
Ardentes iras auget justosque dolores,
Ut vaticanis patratam spectat in hortis
Horrendam stragem: coetus exosa profanos
Acrius, et lacrymis oculos suffusa nitentes
Talibus affatur caeli terraeque Satorem:
Ecquid agis, Genitor? Quid non e sanguine nostro [36]
Defendis natos? Altaria nostra per orbem
Vix posita, innocuo recalent saturata cruore.
Eja, age, quid cessas? Magnam Pater excute dextram
Omnipotens. Sanctum testati sanguine verum

Aeternique fidem verbi clamore supremum
Circumstant solium: Caesos ulciscere fratres.
Talia dicebat, impacatoque fremebant
Murmure caelicolae vario, cum lumine dio
Insuetum emicuit lumen, magnumque per auras
Responsum insonuit: Justis absiste querelis:
Expectare juvat (nec erit mora longa), sacratum
Explêrim donec numerum, fratresque vocârim
Ad solium [37]. Nec plura Pater. Siluere beati
Caelicolae, et placida composti pace quiescunt:
Justitia insueta emicuit pulcherrima luce.
   Dum tamen incestas contristant crimina terras,
Sparsa pererratis romana Ecclesia regnis
Ingeminat moestas supera ad convexa querelas.
Jamque, ubi sidereo e solio sanctissima Mater
Emicat, et Nato immortales inter amores
Unigena fruitur, maternas impulit aures
Lene sonans gemitus: e verticibus montanis,
Queis innixa sedet sanctae domus alta Sionis,
Auditum longe commota per atria murmur
Orantum, et superos calida prece compellantum.
Cuncta prior novit Genitrix, animoque recepit
Et gemitum et lacrymas et luctisonos ululatus.
Ore repente sedet pietas, neque nescia Divûm
Agmina, Caelicolae citharas tenuere decoras,
Mutatusque pio sonitus modulamine complet
Aethereas sedes, mutatoque ipsa colore
Laetitia ipsa etiam pietate nitescit honora.
Tunc Mater roseo conspectans lumine Natum
Talibus orabat: Supremo tempore lethi
Audivi eloquium: Tu nato, Mater, adempto

Omne hominum genus accipies. Quae barbara nostris
Subtrahitur curis regio? Genitricis amores,
Nunc ubi praesertim pro Relligione duellum
Certatur gravius, materno in pectore surgunt
Majores. Tristi suspiria qualia nimbo
Excita per terras ad caelum adscendere cerno!
At tibi supremus terrarum credidit ingens
Imperium Genitor: quid nî, quae magna potestas
Est Tibi, turbatas crudeli funere gentes
Quae tua sacra colunt, praesenti numine serves?
Dixerat, et Natus placido sic reddidit ore:
Gratius anne aliquid supera versatur in ora
Quam tua vox, Genitrix, terrae regina polique?
Te, delere parans veteris contagia culpae,
Omnipotens Pater aeterno delegit ab aevo
Praeclaram comitem, atque tuo de corpore corpus
Conceptum exilui superam moriturus ad auram,
Diaque supremum placatura hostia regem
Inflexi. Quaecumque rogas, tibi debita, Mater.
At tibi dicam equidem, rerumque arcana revolvam
Longius in terris aevo complenda futuro.
De me jam nôsti perfecta oracula vatum
Omnia: Judaeas iras, stygiique tyranni
Fraudes Omnipotens in magnos vertit honores:
Crux mea, quam innocuo perfudi sanguine, quondam
Servile opprobrium, stabit venerabile signum,
Tessera Christiadûm, regum diadema potentum.
At si caecigena dejectus gente Magister,
Discipulis potior speranda est gratia nostris?
Quale furit febri violens aegrotus anhela,
In medicumque ruit saevum depellere morbum

Curantem, rabiem properant satiare ferinam
Terrigenae, ingentisque petunt molimine belli,
Qui soli possunt rebus succurrere lapsis.
At certare Deo, coeptosque inhibere triumphos
Improbitas poterit? Turmas jam cerne volentes
Pro templis arisque pias diffundere vitas.
Dogmata sic stabunt terris, et sanguine sacro
Inspersae accedet fidei victoria maior.
Sic veri insolito perfusae lumine gentes,
Quas ipsis merui, superas nitentur ad oras,
Unde ruit quondam aligerûm damnata caterva.
Illam urbem cernis, quae nunquam immota quievit
Hactenus, et semper renovans horrentia bella,
Europamque Asiamque suo parere coegit
Imperio, et Lybiam? Insueto turbata tumultu
Barbara tot regna, et longo confecta veterno
Offendens, vix ipsa suo pede rudera lapsa
Contigit, in partes sectum rapiensque trahensque
Orbem terrarum imperio conjunxit in uno.
Et nunc ipsa eadem longo ceu fessa labore
Languet humi, oranti similis, promptumque reposcit
Auxilium, priscum sentit per membra vigorem
Deficere, imploratque novae spiracula vitae.
At mox dum verso materna in viscera ferro,
Antiquae vitae si quis super halitus errat,
Lapsus vanuerit, me Roma tuebitur unum.
At qualis tanto consurget sanguine Roma!
Qui novus exoritur mutatis sortibus orbis!
Aspice: jampridem senio defessus inerti
Excussit sese mundus, maciemque vetustam
Ejiciens, primaeque ferens decora alta juventae

Candidiora novae capiet sibi tegmina vestis.
Aspice, venturis laetantur ut omnia rebus
Saecula! Deductae omnipotenti flaminis aura
Romam concurrent gentes, nostrumque professae
Nomen templa Deo laetis immania regnis
Constituent, votumque piae immortale sacrabunt.
Roma caput magno imperio pulcherrima stabit.
Attamen antiquae tanta est insania labi,
Tantaque terrenam incestant contagia molem,
Gaudia ut impuro male facta cupidine turpes
Praetulerint, aspernati immortalia rerum
Gaudia, terrigenûm vitam factura beatam.
At nisi bellando, priscus non interit orbis.
Bella foris intusque manent: pugnatur in hostes
Externos: pugna interior pugnatur in ipsis
Christigenis, si quos recto malus avocat error.
At non effusus nostro de corpore frustra
Sanguis: supremam justi placavimus iram
Numinis, et primaeva lues stragesque piata.
O pulchras pugnas per quas rectumque bonumque
Pugnabit contra vitia et mendacia cuncta.
At vincent porro; Patris haec suprema voluntas,
Mater. Quin etiam summis de sedibus ipsa
Adsis terrigenûm miserata incommoda, dumque
Impia foedifragum flagrabunt bella per orbem,
Auxiliatricem si te in sua vota vocabunt,
Spe laetos facies concepta, opibusque juvabis;
Partheniae matri solemnia sacra periclis
Servati statuent, totumque ferere per orbem
Maxima Christiadûm genitrix, atque inclyta custos.
Sic ait Emmanuel, et vix rosea ora quièrunt,

Continuo aetherea dius concentus in aula
Incipit: attoniti rebus complenda futuris
Caelicolae audierant, maioraque gaudia fervent,
Ut lapsi generis tantam exardescere caelo
Inspiciunt curam, quantoque incumbat amore
Omnipotens super astra humanam educere gentem.
Talia summotas hilarabant ordine sedes,
Quas Christus, Materque beant, ubi laeta sereno
Scintillans risu superas Clementia mentes
Mollit, et ingenuos terrarum inspirat amores.
Ecce autem aethereae, laetata examina, turmae
Transnabant vasti suprema volumina mundi,
Jamque triumphali redimitae tempora vitta
Felices animae, quas corpora sancta coegit
Linquere barbaries, caelestia templa subibant:
Ut primum infernis veniens concentus ab auris
Insonuit, murmur commota per atria notum
Caelicolae audierunt, subsellia cuncta replêrunt
Laetifici plausus: graditur delecta propago
Stellatas mirata aulas, mirata nitores
Urbis gemmiferos, ipsas mirata sorores
Assimiles caeli stellis ardentibus omnes.
Ipsae autem recta ad Regis solia aurea tendunt:
At globus in mediis qua millibus aethere summo
Totus collucens, radiisque micantibus ardens
Cum Patre stat Natus, sacrumque potenter amorem
Inspirant, acie visae requiescere fixa.
Tum choreae, et cantus hilares, lususque chorique
Insonuere iterum: laudes et carmina magno
Auctori ingeminant: laeto clamore salutant,
Et te Sancte vocant Deus Optime Maxime: Sancte

Caelestes repetunt acies, et postibus aureis,
Sancte, repercussae complêrunt sidera voces.
At non interiore polo, caeloque remoto,
Barbariem Omnipotens poena sine vindice omittit.
Nec reges populosque diu furere ipse relinquit
Impune, et foedo fas temnere jusque tumultu.
Sanguine contempto sanctorum plaudere Romam
Dedecori humani generis, mendosa deorum
Numina sectari, et veteri se obvolvere nocte,
Dum caliganti lux orta niteret in orbe,
Adspicit, atque ultro aeternam sua jura reposcit
Justitiam. Huic adsunt suprema e sede ministri
Quatuor aligeri, qui magni jura tuentur
Numinis, et justi jaculantur tela furoris,
Si quando infami maculatas crimine terras
Excutit Omnipotens, et lapsas integrat aras.
Quamvis caelesti niteat decus ore, calentes
Interius monstrant accensis frontibus iras:
Artubus ambrosiis nigricat ferrugine pulla
Vestis, apex capiti squalet, viridesque per alas
Spargitur infausto nubes teterrima nimbo.
Caelestes ocreae radiant adamante, manuque
Sustentant vastum clypei septemplicis orbem.
Ibant aetherei comites, quo jussa vocabant
Divina, et superas properabant linquere sedes.
Ut caelum terrasque inter stetit agmen, et imos
Obscoeno vidit maculatos crimine tractus,
Horridus in tenebris, et luce coruscus ahena
Progreditur primus Cherubim, emicuitque nigranti
Nube sedens, qualis divinae nuncius irae
Terruit Aegyptum, trepidaque in nocte pererrans,

Qua non arcano signatas sanguine portas
Vidit, spes fragiles, primaevaque vota parentum
Abscidit, et sole exorto, plangoribus omnis
Excussa insonuit Memphis, matresque suorum
Corpora natorum saeva manantia tabe
Nequicquam excierunt, ululatusque ore dederunt.
Arduus ille stetit, dextraque amplectitur ensem
Fulmineum, districta acie, dioque furore
Oppletam laeva nigrantem detegit urnam,
Qua latet insidiosa lues centumque malorum
Horrores, caeli irati immedicabile vulnus.
Tum procul obscoenae speculatus moenia Romae
Avertit faciem, et diro cratera veneno
Undantem invergit: summa vix parvula ab ora
Guttula prorupit, totusque remugiit axis
Horribili sonitu, summo ruit aethere fulgur
Quadrifidum, trepidasque secans discriminat auras
Elucens fusca tractim caligine splendor.
Tum sic indignans: Discat Roma ethnica, discant
Attonitae gentes, quanto venerentur honore
Christiadûm e caelo quae nata Ecclesia, quamque
Effuso Christus legit sibi sanguine sponsam.
Ipse Deus genuit, justaque tuebitur ira
Ipse Deus caelo: melius non tangere clamo.
Ite, mei comites: summi mandata Parentis
Perficite. Ille silet, patriamque redivit ad aulam.
At fratres miseris certatim insistere terris
Contendunt, summique Patris data jussa secuti,
Quod donum attulerat Jesus mirabile, pacem
Linquere pollutas auras motamque seorsim
Stare jubent: feritas verso superingruit orbi

Immanis, saevosque suis ulciscitur hostes
Hostibus Omnipotens, atque intestina per urbes
Discidia, infaustique flagrant incendia belli.
Alter te quaerit, pugnax Germania, et alter,
Gallia bellipotens, te quaerit: tertius urbes
Tendit ad Hispanas, Galilaeas quartus ad oras.
Icta dolore gravi penna trepidante quaterna
Sub noctem legio caeli convexa secabat,
Iratosque apices gradientum, et rauca sonantum
Remigia alarum agnoscunt per nubila venti,
Aversique fuga siluere, locoque recedunt.
Ergo tibi incipiet series immensa malorum,
Ethnica Roma? tibi innocuo pro sanguine fuso
Apparat Omnipotens meritas infligere poenas.
Dum saevae monstrantur adhuc vestigia cladis,
Traditaque indignae morti spectacula centum
Corpora Christiadûm, et saevi funesta Neronis
Improbitas multa et forsan majora minatur,
Ecce inopina lues urbi superimminet. Horti
Frondebant virides, et formosissimus annus
Exhilarabat agros laeti dulcedine veris:
Continuo cursum turbat sol annuus; aestus
Aera per liquidum insolitus; sub sole micanti
Igne superfuso durescens purpurat aether:
Non Zephyri levis aura movet, non dulcibus imber
Irrorans pluviis sitientes recreat agros,
Aetherei solido postes adamante rigescunt.
Ergo per campos primum contagia serpunt;
Aret ager caeli vitio, genitabilis herba
Disperiit, scabraque cadunt rubigine culmi.
Inde ferox patuit labes; lethale venenum

Corripuit terras animalia fessa per omnes,
Nec longae via mortis erat; pecudesque bovesque
Ilicet ad terram revoluta mole cadebant.
Humanum inde genus rapuit, stragemque nefandam
Ediderat campis, populosae compita Romae
Ingreditur, vastatque domos, et funera miscet.
Principio medicas artes, herbasque potentes
Explorant: ubi nulla virûm experientia, nullum
Fert aptam medicamen opem, cecidere labanti
Pectore spes omnes, gliscit formidine morbus.
  Ergo agitare fugam, patriaque excedere certant.
Pars detestatis ardent erumpere portis;
Non tamen effugiunt mortem, sed limine in ipso
Deprensi expirant animas, et moenia supra
Prostant immundo resoluta cadavera tabo.
Nobilium soboles fumosis atria ceris
Splendida deseruit, quaerens spirabile caelum
Tiburis, atque alti Praenestis, et Antii amoena
Littora quae avertant saevi contagia morbi.
Exemploque Nero praeit impiger. Ipse frequenti
Agmine stipatus corruptas aeris oras
Mutat fertilibus campis, Dominumque sequuntur
Pone magistratus omnes, trepidusque Senatus.
Compita sola jacent: crines de more solutae
Errant romanae matres: miserabile vulgus
Per noctem lucemque feris ululatibus urbem
Incendit: plateis sternuntur inertia passim
Corpora, perque domos confusus turpis honesto.
  Interea variis redeuntes finibus adsunt
Christigenae, veluti vi tempestatis abactae
Praecipites volucres, si mitia flabra redibunt,

Atque serenato sueta indulgentia caelo
Fulgescet, laetae deserta cubilia turris
Securas cautes repetunt, praecultaque rursum
Per silvam resonant festivo aviaria cantu.
Pars deflent comites immiti morte peremptos;
Effugium narrant alii, casusque viarum:
At major numerus pallentia corda metusque
Incusat subitos, et sanctis nobile lethum
Invidet, et caeli partam sine fine quietem.
Eune quos inter vacuas ut repperit aedes,
Ut vaticanae cognovit funera vallis,
Horrendam ingemuit cladem, abreptamque vocavit
Plautillam assidue, et Christi quae multa docebat
Petronilla comes. Lucinae pergit ad aedes,
Et qua dilecti cineres jacuere sepulti,
Strata solo: Non haec, inquit, sanctissima Mater,
Sperabam. Tua jussa verens migrare coacta
Ipsa fui Roma, at mecum tua semper imago
Ante oculos stabat. Sine te, mihi moeror ubique.
Appenninigenis jampridem cautibus absens,
Nunc me solari vultus gravitate sereni
Ardebam, longamque viam festina vorabam.
Heu! non te invenio. Si tecum Roma teneret,
Te vaticanum ad collem comitata fuissem;
Martyrii ipsa tui fuerim comes, ipsa quiêssem
Tecum una, tandem praerepta furentibus Euris,
Qui me jampridem turbata per aequora jactant.
At Romam supra infandam exhorrescere nubem
Conspectans Petrus, Cletoque Linoque receptis
Et fido Clemente (feros evadere casus
Hi potuere omnes) Lucinae venit ad aedes,

Quam statuit sacris post horrida funera sedem,
Unde cruentatum campum, vallemque nefastam
Desuper inspiceret. Nocturnae tempore pacis
Quin etiam alticomae platani sub tegmine stratus,
Qua prior Indigetum pubes conscenderat ardens,
Suspirans caeli immortalia templa salutat.
Atticus explêrat coetum Dionysius, atque
Pauci presbyteri, et diro servatus ab ictu
Tarsensis. Qui forte suo dum munere Romam
Lustrabat, digito turmae monstratur iniquae:
Irruerunt; non ille pedem vocemque repressit;
Et se Christigenam confessus: Jungite, dixit,
Me comitum numero. Densis circumdatus armis
Certum ad supplicium Senior properabat, at ecce
Obvius occurrit nota virtute tribunus
Aegystus, strictaque acie: Quo pergitis? inquit:
Quove senem fertis? Praedam mihi tradite: custos
Ipse ego servabo: tremefactum paruit agmen,
Et liquit captum. Aegystus graviora tremiscens
Abstulit e medio, et secreta sede recondit.
Tum Petrus amplexus comites in tuta relatos:
Quam vastum vobis, inquit, se pandere campum
Cernitis, o socii, qua flores explicet omnes
Relligio, et late ambrosium diffundat odorem!
At mecum Patri justas persolvite grates,
Cui placuit tantum in primis committere munus,
Oblato auxilio humanos lenire dolores.
Ethnica progenies latos contendit in agros,
Externata malo, pestem vitare nefandam
Excupiens: vacua soli dominamur in urbe.
Ergo caelestis mysteria spargere verbi

Quibimus impune, et lucem mortalibus aegris
Pandere divinam. Sanctis insistite coeptis.
Curate aegrotos, morientes sacra docete,
Alloquioque juvate pio, baptismatis unda
Spargite semianimes, caeli recludite calles.
In primis per iter, si quos vis improba morbi
Deprendat, vobis potior sit cura referre,
Quo pia magnificas praebet Pomponia sedes,
Et Lucina potens cunctas medicaminis artes.
Attonitae Romae indicio monstrate recenti,
Quid valeat pia Relligio, quae maxima virtus
Christiadûm. Media tum vero constitit aede,
Procubuitque solo supplex, et talia fatur:
Et nos infenso oremus pro Caesare, diae
Qui tantum bonitatis eget. Rex optime caeli,
Ille tibi, infelix! bello contendere certat?
At mala pro misero quae plurima mente subimus
Pacata, offerimus: pectus crudele refringe:
Quae bona pro cunctis cupimus, concede Neroni.
Haec Petrus, atque animos acuens pietatis amore
Igniferae, lectos proceres in magna remittit
Officia, et numerum variis regionibus aequat.
Continuo veneranda Patris praecepta facessunt
Primores: certo distinctae hinc ordine turmae
Discurrunt Romam longe lateque jacentem:
Majus numen agit, major vis: adstitit aegris
Prodiga gens animae, nullisque obstantibus audax.
Incumbens, strage in misera, commune periclum
Christigenas celebri dedit effulgere palaestra,
Virtutesque novas stupefactae ostendere Romae.
Nôrunt Romulidae, nova quae miracula suadet

Terrigenis doctrina recens: novere ministros
Projicere ultro suam dubio in discrimine vitam,
Dum, dictante Deo, satagunt accurrere egenis
Fratribus, aethereasque animas moribundaque membra,
Illas aeterna, haec praesenti educere morte.
At spatiata lues laxis prorupit habenis.
Non secus ac hyeme in media, si spumeus amnis
Objicibus ruptis, pleno se proripit alveo,
Si dum fracta undis jacuere repagula, perstant
Imbres effusi, sylvaque emissa sonanti
Turbida diluvies campo dominatur aperto:
It mare proruptum, et pelago lata arva tumenti
Occupat, una palus campis natat, una vorago;
Sic morbi furor indomitus male pinguis opimo
Luxuriat cumulo, mors demetit omnia falce.
Numinis irati justos pavefacta furores
Sensit terra parens, silvae sensere comantes,
Et sensere suis viduatae civibus urbes.
Pulverulenta coquit quae Sol torrentior arva,
Quosque hortos semper virides, collesque supinos
Editior ramis vestit frondentibus arbos,
Et riguo latice irrorat felicior amnis,
Lurida contages telis populatur iniquis.
Arida non resonant avibus virgulta canoris;
Obstupuere vagae volucres, primumque feruntur
Aera per liquidum immemores, mox praepete penna
Deciduae passim arenti moriuntur in herba.
Mascula progenies quae sole perusta, geluque
Impigra versabat latios innoxia campos,
Languorem subitum lassos irrepere in artus
Sentit, et exhausto marcescit robore glebis

Projecta obscoenis: matres magna ossa lacertosque
Effaetos spectant natorum, imisque profundunt
Pectoribus gemitum, et crudelia sidera clamant.
At senior cernens tantam superare ruinam
Haeret semianimis caperata fronte, nec oris
Rugosos sulcos lacrymis abstergere obortis
Curat: squalentes oculos ad sidera tollens,
Eheu! quamnam, inquit, Superi protenditis iram?
Aut nostrum delere genus, sobolemque recentem,
Ut referunt vates, mutatis reddere terris?
Nec minus horrendo pestis grassata furore
Terrificat Romam: barathro dira omnia ab imo
Tartarei evomuere lacus, stragemque nefandam
Auget formido, turpique cadavera tabo
Intumulata jacent passim: tum crassa mephitis
Exhalans populo viduat stipata frequenti
Compita: nulla vides mediam lacrymosa per urbem
Funera; congestis flammarum uruntur acervis
Corpora functa virûm, tumido seu vortice raptat
Tybris, tyrrhenique maris deturbat in aestus.
Hic pauci, quibus obscoenae reverentia Romae
Parva manet tamen, ut spem defecisse tuentur
Auxiliis hominum, certos dimittere Delphos
Legatos statuunt aliquam implorare salutem.
Delphica fatidicis nituit cortina triumphis,
Tempore cum primo veteres statuere Pelasgi [38]
Concilium, et Phoebo posuere immania templa,
Quae simul extarent communi Curia genti.
Partibus e variis gentes de more vocatae
Hic in amicitiam coeunt, et foedera jungunt.
Hic oratores graviora negotia tractant

Demissi; hic patriae condunt solemnia jura.
Graecia si varias uno sub nomine gentes
Contulit, una virûm virtus, lingua una, deûmque
Una superstitio communia vincula junxit,
Disjectae vires Delphis coalescere visae,
Unde regit socios pollens prudentia motus.
Horrendum nemus, et luci tenuere silentes
Magnificum templum: extremo nemorale recessu
Circum montanis septum stat rupibus antrum,
Faucibus unde cavis erumpens halitus ater
Insanam inspirat vatem, retegitque futura.
Humanas mentes caeca pervertere fraude,
Et retinere nigra errorum caligine vinctas
Gestierat miserae deceptor subdolus Evae:
Utque fides major falsis accederet aris,
Ipse acheronteis crebro veniebat ab antris,
Phoebaeae ipse etiam dictabat fata Sybillae,
Quae specubus sacris, afflata est numine quando,
Egrediebatur, tripodisque [39] effulta sedili
Assuêrat populis casus aperire futuros.
Ex quo divinum sed enim mirabile verbum
Emicuit terris, et fortunata piorum
Agmina divinis grajam splendoribus oram
Irradiant, Phlegethonta imum tremefactus abivit
Spiritus, atque Deûm frustra responsa requirunt.
Delphica squalescit templo cortina relicto:
Limina vix humilis scandit deserta popellus
Credulus augurio: et Phoebo famulata sacerdos
Perrara antiquas inspectat munera ad aras;
Femella imprudens mendaci quaerit ab arte
Victum humilem, et miserae vendit mendacia plebi.

Heu! quae Romulidas egit dementia? nuper
Sacrilegus Caesar, dum graecas permeat urbes,
Venerat intonsi scitatum oracula Phoebi:
Dumque videt templum gemmis auroque coruscum,
Et consulta diu renuit responsa petenti
Pythia, quingentas statuas e limine sacro
Subripit, et tristes submoto sole cavernas,
Unde potens Numen magnae spiracula vati
Spirabat, terrae injecto complevit acervo,
Custodesque ipsos, heu numina vana vocantes!
Exuperat ferro: manibus direpta profanis
Omnia: nunc lapsis quaerunt oracula rebus?
Patres iratum per multa piamina quaerunt
Emollire Deum: imprimis allata ministris
Praemia, vis ingens auri, bis mille talenta.
Jussa ergo legati obeunt; in limine templi
Consistunt, turbaque virûm comitante sacrorum,
Antistes: Pateris, inquit, libemus et auro.
Munera porriciens tali tum voce precatur:
Phoebe, machaoniae rex idem atque arbiter artis,
Qui potes arcitenens populosa evertere regna,
Quemque salutarem nostri dixere parentes,
Corpore ab aegroto properantia fata fugantem;
In te summa salus, tu certa oracula pandas.
Dixit, et in medium magno lymphata furore
Foemina prosiluit, passis per colla capillis.
Quae tamen, ut dubia pendentes sorte Quiritum
Adspexit proceres, qualis marpessia cautes,
Constitit attonita, et torvo pallentia vultu
Lumina dejecit, rabidoque obmutuit ore.
Circumstant proceres ingenti murmure, cunctique

Hortantur fari, quae sint oracula divûm,
Quae lapsis superet rebus fiducia: et illa
Respuere, inque specum propero contendere gressu.
At circumsistunt mediam. Nullum illa regressum
Repperiens, tremebunda stetit, torvumque tuendo:
Quidnam, Romulidae, funesta silentia rumpam?
Ipsa tacere velim, sed vis inimica, manusque
Invicta ignotos mandat vulgare dolores.
Heu! quianam antiquo viduata altaria cultu
Adspicio? templo penetrali, adytoque relicto
Falsiloquus cessit Phoebus: Deus alter, et idem
Maximus, Omnipotens toto regnabit in orbe:
Et nova progenies cunctis dominabitur oris.
O Roma infelix! sancto quid sanguine vallis
Vaticana rubet? quae fortia corpora versat
Indignans Tyberis, renuitque evolvere moerens
In mare turbatum? Scelus exitiale piabunt
Romulidae: cerno foedae data corpora pesti,
Ast alii suberunt luctus, atque horrida bella,
Dejectura feri imperium soliumque Neronis.
Nec plura effatur, caecumque irrupit in antrum
Praemetuens: videt ipsa satis latebrosa locutam,
Atque ignota sibi. Ancipiti formidine pressi
Legati actutum steterunt, tacitisque requirunt
Pectoribus, quisnam ignarae inspiraverit auctor
Arcanos sensus, cui pareat ardua rerum
Vaticinans. Sed vera Deus, Deus ipse, potensque
Christiadûm pater inspirat subigitque fateri,
Quae non humanis opibus, non arte magistra
Proveniant: dictis inerat caelestis origo.
Non unquam exhaudita prius portenta pavorem

Horrificum injiciunt: suspecta sacraria linquunt
Moesti oratores, Romamque educta reportant
Nuncia, lethiferi caussam prodentia morbi.
Tum vero patuit, sancto quod sanguine fuso
Christiadûm malesana lues saeviret: et ira
Acrior assurgit, simul ac unum esse Neronem
Tantorum aspiciunt crimenque caputque malorum.
Laetitiae tamen una subest justissima causa,
Caesaris exitium, foedique ruina tyranni.

Quo tamen asperior gliscit violentia morbi,
Gliscit cura Petri major: primum ipse ministros
Admonuit sacros: mox totum cogit ovile,
Ocyus, et memorat magni documenta Magistri.
Romulidae, o Nati, tecti penetralibus altis
Horrida lethiferae fugiunt contagia pestis,
Aut caeli vitio corruptas aeris oras
Urbani vitant, rurisque in tuta recedunt.
Nos Servatorem sequimur divina docentem,
Hortantemque suos ad facta recentia juris
Discipulos [40]: Ibat quondam per opaca viarum
Mercator, pretiumque ferens, et vendita mercis
Munera dilectos properabat visere natos.
Ecce improviso, tenuis qua semita ducit,
Vicina incumbunt furiosi e sepe latrones,
Expoliantque virum, quae magna talenta ferebat
Sub vestem, et multo confixum vulnere linquunt.
Dum resupinus humi languet, dum voce suprema
Poscit opem infelix, casu transibat eodem
Levigena, et toto revomentem pectore flumen
Sanguineum, et caelum vano clamore replentem
Despicit haud quidquam casu concussus amaro,

Avertitque oculos, et quo graviora vocabant,
Sese proripuit. Casu Samaritide natus
Occurrit; tetigitque viri miseranda jacentis
Conditio: accedens, propiusque juvare relictum
Deproperans dextram porgit, caroque gravavit
Pondere cervicem, tectoque sub hospite secum
Attulit, et pacta curam mercede locavit.
Talia narrabat Jesus, comitesque rogabat
Discipulos: quinam nostra de gente duorum?
Qui melius fratri rebus succurrit in arctis.
Ethnica Roma dedit luctus, stragemque nefandam;
Nomine digna tamen nostro nulla arma ministrat
Ultio, nî benefacta: preces fundamus ad aras
Pro Roma unanimes: divini fulminis ira
Erumpente, gravis minuamus damna ruinae.
Ignaram miseremur: amor per cuncta juvandi
Aegrotos doceat, nostrae quae gentis origo,
Qui cultus, quodque officium. Languentia membra
Solemur, casusque animae curemus iniquos.
Romulidae videre novam exardescere lucem:
Tempore difficili, radiantia lumina solis
Divini videre feram exhilarare ruinam.
Christigenae immemoresque sui, immemoresque pericli
Splendidiora domus conscendunt limina, et ipsa
Non dedignantes fumosa mapalia visunt,
Qua sordens habitat plebecula, et omnium egena
Expectat certam fati insolabilis horam.
Ardentem pietate nova, per cuncta vagantem
Mirantur loca progeniem, nec matre creatam
Mortali, at verum dicunt genus esse Deorum.
Tum vero exemplum fuit admirabile matrum,

Quae binae numero, tresve abscedentia quaerunt
Limina tectorum. Tanto sub flore juventae
Vadere securas immani turbine lethi
Romanae cernunt matres, primumque subibant
Cultrices nemorum, jaculatricisque dianae
Dilectae comites silvas liquisse propinquas,
Et desolatos morbo quaesisse penates,
Artis opem medicae Phoebeaque dona ferentes.
Talia sed nunquam vidit portenta vetustas:
Una Dei virtus tantum inspiravit amorem.
Anne sacerdotes memorem, quos munere sancto
Occupat immanis morbus? tamen ignea flamma
Quae fovet interius, vires ad verba ministrat.
Dumque super capita orantum protensa tenebant
Brachia, vix veniam tradit vox ultima certam,
Liber ad aethereas volitavit spiritus oras.
Non se se Romae triviis insigne tenebat
Pontificis studium: vicinas permeat urbes,
Ut si quae vastos ovis errabunda per agros,
Seu recreata novum hauriret per membra vigorem,
Seu domini caulam saltem moritura subiret.
Urget amor Christi sanctos, fessisque salutem
Corporibus referunt, animasque ad sidera mittunt,
Delibaturas aeternae gaudia sortis.
Facta animos et dicta movent: sine fine beatus
Accrescit numerus: simul et generosus avita
Nobilitate potens, miseris simul excita lustris
Plebs, certatim adsunt omnes, lymphaque salubri
Abluti miserae ponunt vestigia fraudis.
Iphitus exultans eoum liquerat orbem,
Incolumem sperans dilectam invisere Natam.

Post varios casus, post tot discrimina rerum,
Infelix! tandem hesterna vix luce cupitum
Attigerat Tiberim, et nullis comitantibus ibat,
Caesaris invidiam metuens irasque recentes:
Ecce foro in medio saevire in viscera pestem
Praesentit; genua aegra labant, vestigia nusquam
Ponere certa valet, saxumque reclinis ad ingens
Decubuit. Sancto talis regio obtigit Hermo,
Qui nuper summa Italiae pervenerat ora.
(Sic placitum superis); in tanta pericula missus,
Dum tota passim impatiens regione vagatur,
Invalidum rigidae deprensum frigore mortis
Repperit: ipsi (equidem credo divinitus) Hermus
Occurrit primo aspectu, neque noverat aegrum,
Nec fas. Continuo est alius color, humida vultum
Deformat macies, nec respirare potestas.
Accessit juvenis, dulcique affatus amore est:
Quae mora jam? frater, cervici imponere nostrae:
Quisquis es, advenias: fallacia numina divûm,
Sive colis Christum, nullo discrimine habemus.
Sustulit hic oculos rigida jam nocte gravatos
Iphitus, et subito vultu sibi cognitus Hermus:
Hermen', te adspicio? facti me poenitet: ipse
Porrigis auxilium? . . . Natam quam diligis Eunen,
Sponsam trado tibi. Simul haec, simul ora rigabat
Largifluo fletu. Juveni tum innotuit aeger:
Iphite, tun' Romae? Curis respondet amicis
Illacrymans Hermus, largo sudore fluentes
Detergens vultus, dio spemque omine firmans:
Scis equidem, scis ipse, Pater, quae quantaque nobis
Omnipotens vitare dedit; reparare salutem

Annuat ipse etiam, laetos tibi duplicet annos,
Ambos Christigenas, fidissima pectora, dextra
Ipse tua, ante aras, concordi foedere jungas.
Nunc mecum advenias. Dicens, miserabile corpus
Tollit humo, imposuitque humeris, gressuque citato
Accelerans certas aegrotum exportat ad aedes.
Dumque, jubente patre, infelix arcessitur Eune,
Molli composuit thalamo, stratisque locavit.
Adsunt delecti comites, medicabilis herbae
Auxilia expediunt, fomentaque suavia spargunt.
Vitalem subito per languida membra calorem
Et fugientem animam labrum revocavit ahenum.
Jamque dies, alterque dies processerat, olli
Languentes paullum vires revalescere letho
Instanti visae: cum primum pristina mentis
Lux rediit, certa compellat voce potentem
Christiadûm patrem. Tanto venientis amici
Perculsi exitio Petrus et Dionysius adsunt:
Utque pia officia, et solamina cuncta jacenti
Expediunt, sic aeger ait: Si munus habebo
Caelicolûm, quicumque manet me terminus aevi,
Hoc vitae spatium Christo sacrisque vovebo.
Et jurata mihi certae sub limina mortis
Omnia complebo, modo caelo dexter amica
Adsit ope Omnipotens: aliud votum amplius addam.
Est mihi nata, viro sponsam quam jungere nullum
Suasit consilium: terraque marique secutum
Magnanimum juvenem repuli, quia sacra colebat
Christiadûm. Juveni natam volo jungere sponsam.
Sponsus adest Hermus; sponsamque libentius Eunen
Tradidero, Christi si dia exempla sequatur.

Tum Petrus tales effundit ab ore loquelas:
Omnia nota mihi. Nempe hoc commisit habendum
Officium Omnipotens, viduis succurrere, natos
Protegere optatis viduos genitoribus, aegram
Pauperiem solari, aegris adferre medelam,
Et quocumque modo laniatis reddere pacem
Pectoribus. Quae multa Hermus suspiria frustra
Fudit sollicitus, quantum telluris obivit,
Omnia narravit mihi saepe: ego saepe vocare
Votis Caelicolas, terraeque polique potentem
Reginam hortabar. Christi fiducia nunquam
Cessit; nunc optata dedit connubia Christus.
Et nostris Eune jampridem militat armis:
Vulturis immanis fugiens tentamina, nostris
Delituit specubus, nostro et se junxit ovili.
Illa diu lacrymans sanctas oravit ad aras,
Ut caligantes tua circum lumina sese
Disjicerent tenebrae, teque intra septa referres
Christiadûm: rata vota facit Jessëia Virgo,
Jamque aderit, tibi causa viae, tibi causa pericli
Nata tibi. Ecce autem media inter talia verba,
Eune virgineo coetu stipata sororum
Lethiferam intrabat sedem: radiisque refulsit
Adversa effigies patris, spondaque jacentem
Aegrum cognovit, dulcique effata dolore est:
O Pater, o: dixit, mediaque in voce resistit,
Attonitae similis. Seu maxima patre recepto
Gaudia, sive dolor tanto discrimine mortis,
Deficiunt animi. Comitum glomerata corona
Illam lapsantem moribundi in pectore patris
Suscipiunt, rigua frontemque aspergine rorant.

Ut vero coepit renovata resumere cursus
Vita interruptos, rediit labefacta facultas
Mentis, et ingenuo sensim refloruit ore
Purpureus color; ingenti percussa dolore
Terque quaterque manu pectus percussit honestum:
Statque diu complexa patris miserabile corpus,
Aegro multa super lacrymans, moestusque per omnes
It gemitus comites. Sed sponda celsus ab alta
Sese composuit Genitor, jussitque querelas
Sistere femineas, atque has dat pectore voces:
Jam video, memet certae subducere morti
Haud valeo. Hoc laetus morior, quod cernere lucem
Contigit, et sacrae lustrari fonte salutis.
Nata mihi extremae jam reddita fine senectae,
Haec cape dicta memor, quae dicta novissima Patris.
Quandoquidem nostris tandem complexibus haeres,
Teque mihi incolumem praesenti numine reddit
Omnipotens, Christique dedit succedere ad aras;
En tibi, quem tota jamdudum mente cupisti,
Trado Hermum, nata: ipse tibi materque paterque.
Ille foro e magno quo me deterrima pestis
Corripuit, miseraque diu projectus arena
Decubui, pietate nova me ad limina sancta
Christiadûm retulit: pietas sibi praemia poscit.
Id tantum obtestor, quoniam decrescere vires
Sentio, magne Parens, munus mihi perfice, sponsos
Junge cito, ut linquam terrenae incommoda vitae
Laetior: hoc uno mortales demoror horas:
Nec patris desideriis parere recusa.

Ara domus media fuit alta in parte locata,
Omnibus inspectanda aegris; superemicat ara

Effigies Christi sacro diademate regis
Ornata, et visu consolatura sacratum
Hospitium. Praesente Deo, qui indigna relatu
Supplicia exhausit, periturae incommoda vitae
Despicere ediscunt, caeloque educere mentem.
Ergo promissi divina altaria sponsi
Succedunt, sacroque Pater succinctus amictu
Ascendit, gentesque pia cinxere corona
In medio positos altaria ad ipsa, genuque
Inflexos sponsos, tamen ut cognoscere posset
Omnia stans contra thalamo compostus in alto
Iphitus aegrotus. Sacris ubi cuncta parata,
Christiadûm Rector primum his interrogat Hermum:
Herme, tibi uxorem solemni foedere certam
Vin'sociari Eunen, ceu sancta Ecclesia poscit?
Ille, volo [41], clamat. Tum sponsam interrogat Eunen:
Nata, tibi certum solemni lege maritum
Vin' sociari Hermum, ceu sancta Ecclesia dictat?
Illa, volo, clamat. Tum dextrae jungere dextram
Sic sponsos jubet: et caelo pia lumina flectens:
Aque ego vos, inquit, conjungo in nomine Patris,
Aeterni Patris, et Nati, et spirabilis Aurae.
Taliaque effatus signat cruce; deinde jugalis
Indicium fidei, caelata lance locatur
Annulus: accipiensque manu, spargensque sacrata
Magnanimus lympha pastor, donavit habendum:
Suscepitque Hermus subito, digitoque sinistro
Aptavit sponsae. Hic pompae solemnis honorem
Defunctus senior palmas utrasque tetendit
In caelum, talesque effudit pectore voces:
Ipse praeit precibus, respondit cetera pubes:

Nempe tu caelo, Deus optime maxime, vota
Respice [4a]: Jerusalem e sancta, temploque micanti
Fac rata vota, Deus. Tua nomina rite vocantes,
Inque uno Te sperantes per iniqua tuere
Omnipotens servos. Tu murus aheneus esto,
Tuque esto clypeus, contra implacabilis hostis
Insidias: juncti duce te per cuncta propagent
Saecula progeniem. Sancti tu nominis auctor,
Et generis; tibi perpetuo famulentur amore.
   Talia spectabat tacitus, lacrymasque ciebat
Iphitus, et sancti illectus dulcedine verbi
Miratur sanctos ritus, miratur amantes
Ipso in conjugio caeli meminisse vocati,
Dum captos animos sacro divinitus igne
Gratia caelestis compleret. Gaudia laetam
Exhilarant mentem, simul ac laeto omine vidit
Connubio junctam stabili juvenique dicatam,
Qui tota posset vita praestare beatam.
   Sed morbi gravior vis ingruit: ipse labantes
Deficere inspectat vires, sponsosque solutos
In lacrymas thalamum tristi cinxisse corona.
Me vita, exclamat, linquit. Vos flagito, Patrem
Commendate Deo, et votis precibusque juvate.
Tum vero Petrus verbis solatur amicis:
Quandoquidem gravior morbus, sanctoque renatum
Flumine, jamque omnis detersum labe veneni
Omnipotens Genitor superas compellat ad arces,
Iphite, sume animos; dignum te finge sacrato
Caelicolûm templo, et vitae mortalis amorem
Desere: Christigenae ecce parata viatica: Christus
Dulce viatori sub vitae extrema levamen

Obtulit ipse suum corpus, quo dura viarum
Expediens pandat stellati limina regni.
Iphite, displicuisse Deo tibi displicet? Olli
Tempus in omne fidem juras, si vita supersit?
Ille oculos tollens languenti morte gravatos:
Poenitet, exclamat: qui vitae terminus haeret,
Spondeo Christiadûm sancte mandata tueri.
Tunc Pastor crucis in morem signabat, amicum
Addens alloquium: Mihi quae concessa facultas
A Christo, culpis absolvo te omnibus; aethra
Omnipotens, et ego terris peccata resolvo.
Dixit, dumque chorus Caelestum magna precatur
Numina, sacrato moribundum spargit olivo,
Omnes delibans sensus: commissaque verbis,
Auribus, atque oculis, gustu, tactuque remittit.
Nec minus, arcano velut inflammatus amore,
Suspendit tacito solemnia vota labello
Iphitus: Antistes spondae subsederat, olli
Caelestem patriam expectataque gaudia monstrans;
Ecce insperato illucescit lumine laetus
Iphitus, et sancto risus superemicat ore.
Ipse loqui extremum tentat; vox faucibus haeret.
At Senior cernens horas instare propinquas,
Dum flexi genibus, natusque et nata jacentis
Circumstant thalamum, dum verba precantia fundunt,
Fortunatam animam terrena relinquere claustra
Suaviter hortatur: Caelo fruitura sacratis
Caelicolûm templis, anima, o dignanda verendo
Concilio, egredere [43]: aeterni per nomina Patris,
Qui te de nihilo dextra omnipotente creavit,
Et Nati, qui sponte sua te morte redemit,

Divinaeque Aurae, sancta quae enutriit unda,
Egredere: Angelicae venienti occurite turbae,
Perque plagam aetheriam supremi ante ora parentis
Ducite. Sic fatus: nullus super halitus ore
Amplius errabat: longas tamen ordine Pastor
Ingeminare preces, sanctamque orare quietem.

At quae finis erit luctus? Quem sortis iniquae
Tanta movet pietas? Quisnam reparare ruinam
Praecipitem poterit,klioraque ducere fata?
Quos tu persequeris dudum, Roma, impia Roma,
Queis turpes ignominias et crimina dira
Imponens in saeva vocas ludibria mortis,
Quos detestaris nec noscens, nomine tantum
Aversata fugis, tibi conciliare potentes
Christigenae satagent caelum: via prima salutis,
Quod minime reris, sacrata ab gente patebit.
Jamque, cadente die, summo processerat axe
Vesper: Christiadas vocat alta in templa sacerdos
Princeps, securus rerum absentisque Neronis.
Ingens insuetus chorus affluxisse novorum
Spectatur comitum: illos excipiebat in amplis
Porticibus Senior, nec jam capit aula piorum
Immensum numerum, et Christi vexilla secutos.
Talis funerea victrix Ecclesia clade
Exibat. Qualis glaciali sidere moerens
Vinea [44], quam saeva frondator falce totondit,
Amissos queritur foetus viduata, gemitque
Insolabiliter formae ornamenta prioris:
Mox ubi floriferis laetum caput extulit arvis
Purpureum ver, et genitabilis aura favonî
Leniter adspirat, moerentis tegmina vestis

Vinea deponit, tepidi per lumina solis
Exhilarata videt tumefacto palmite gemmas
Elucere, potens majori adolescit honore,
Et patulos ramos diffusaque brachia pandens
Huc illuc totum frondenti tegmine collem
Circuit, effusosque ornat spe divite ramos;
Christigenûm haud aliter diris Ecclesia bellis
Augescit, diroque exit certamine major.

Ergo solemnes sacra lux successit ad aras,
Et summus Pastor diram crudescere Romae
Cernens contagem, maturo tempore Patrem
Caelicolûm oblatis quaerebat flectere votis.
Sepositam vestem, tunicae candentis honorem,
Quam Blandina diu festis assueta diebus
Affore concilio commixto neverat auro,
Gestieratque sacris circum variare figuris,
Induit illustris Senior; tum bractea crines
Velabat canos, regisque insigne decorum,
Quam supra triplici consurgens ordine, summi
Ornamentum apicis, gemmis auroque corona
Ornârat. Crucis effigiem, venerabile signum,
Pectore dimittit medio, signisque rigentes,
Intextique auro suras calcemque cothurni
Impediunt: oleae demum sylvestris honorem
Sustentat laeva, et gradiens vestigia firmat.

Nec minus adstabant candenti in veste ministri
Pontifices Linus et Cletus, comitesque minores
Pastori magno glomerantur vestibus albis
Insignes, certisque Patrem deducere gaudent
Ordinibus. Movet ille gradum, turbasque coactas
In morem crucis obsignans benedicit; et omnes

Incurvis genibus gradientem, et prospera cuncta
Christiadûm fatis supera de sede precantem
Accipiunt laeti, et submisso poplite adorant.
Tum Pater aethereo veluti inflammatus amore
Talibus orare aggreditur: Qui maximus orbem
Aeternis regis imperiis, qui candidus idem
Agnus compositas has vivax hostia ad aras
Descendis praesens et inobservabile Numen,
In medioque hominum fidus versaris amicus,
Dum nos solemnem laeti comitamur honorem,
Anne alio aut dextro magis ibunt tempore in aures
Vota tuas? age, vota audi, Rex, magna tuorum.
Aspice funerea obtectam ferrugine Romam;
Foeda cadaveribus tristique infecta veneno
Compita cuncta vides: quando pax alma reviset
Hanc urbem, atque oculis lacrymas deterget amaris?
Parce, Pater, miserere, Pater. Certe ethnica Roma
Omni nequitiae probro cooperta merentes
Expendit poenas, et inexcusabile crimen
Eluit: at vetere in Roma consurgere lectam
Progeniem, atque novam sancto de nomine Romam,
Nonne vides? En rite tuis advolvimur aris
Oramusque omnes: Crudelem disjice pestem.
Et qui terreni mutârunt aeris oras
Jam jam Caelicolae, rubra insignesque corona,
Vulnera monstrantes calido respersa cruore,
Ipsi etiam clamant: Age laetam redde salutem.
Tu non vis misera peccantem occumbere morte [45]:
At tibi converti, tibi vis mutata referre
Pectora, et innocuum vitae traducere cursum.
Parce, Pater, miserere, Pater. Si plurima desunt,

Et si indignatem merito mortalia nulla
Conciliare queunt, carum, Deus, aspice Natum
Pro genere humano crudelia cuncta ferentem,
Et qui pacatrix nostra stat victima in ara.
Dixerat: atque omnes uno simul ore precati
Clamant Christicolae: Romae obliviscere culpas;
Parce, Pater, miserere, Pater: vox assonat una,
Totaque respondet querulis clamoribus aula.
   Quae non aeriae rapiunt vota irrita nubes:
Se septingeminae attollens de vertice Romae
Nuncius aethereus suspiria moesta ferebat
Caelicolûm regi, quae plurima pectore ab imo
Funduntur. Caelo Omnipotens pia vota precantum
Excepit facilis, patrioque misertus amore est.
Natura agnovit mutatum mente Tonantem
Continuo, et Patris sensus imitata benignos
Arcanis muta eloquiis obtemperat, atque
In melius vertit mutati temporis annum.
Ergo dum puri facies innubila caeli
Ridet vere novo, glomeratis imbribus atra
Tempestas oritur: commixto turbine venti
Surgentes transversa fremunt, atque äera verrunt
Remigio alarum, et foedi contagia morbi
Purgant, in tumidos revomentes omnia fluctus.
Paullatim pacata lues mansuescit, et omnis
Romulidûm pubes, subito quae territa casu
Migravit Roma, tecta exoptata revisit:
Est animos sed cura recens, caussaeque doloris
Antiqui crescunt. Pars caros quaerit amicos,
At frustra: notos vultus sine honore, sine ullis
Officiis libitina ferox combussit acerbo

Funere; pars consanguineos, dulcesque propinquos
Effusis poscunt lacrymis: sed sola reperta
Limina; non licuit morientum claudere fessa
Lumina; non licuit cara componere in urna
Dilectos cineres. Infleta, inhumataque membra
Sedibus in patriis funesta tabe putrescunt.

Vix Nero mutatum renovato tempore caelum
Audiit, et solito celebratam murmure Romam,
Tristes deseruit campos, comitumque protervo
Stipatus coetu trepidam contendit ad urbem:
Qualis marmaricos per saltus magna leaena,
Quam dudum suetis rabiosa canicula lustris
Continuit, catulique feri pressere jacentis
Ubera, non otî patiens erumpit ab antro;
Hinc sitis, inde fames irritamenta furori
Adjiciunt; malesuada fremit, stabulisque quietis
Exululans inhiat. Laetis remeabat ab hortis
Asperior Caesar, caecoque in corde volutans
Christiadûm invisam penitus extinguere gentem.
Namque olli veniens maculosa plurimus urbe
Nuncius attulerat trepidis exîsse latebris
Christiadas omnes, per compita cuncta vagari,
Ceu propriae per vasta domus, solatia cuncta
Portantes aegris; benefactis atque potenti
Virtute emotas sese sociare catervas
Innumeras Petro. Qui indagine cuncta sagaci
Perscrutabantur, quaecumque, absente Nerone,
Acciderent Romae, narrabant ordine certo:
Eunen, Caesareae avectam penetralibus aulae,
Christiadûm vigili dudum in statione moratam,
Nunc tandem impavidam nocte erupisse silenti,

Atque adstante choro, dextram jurâsse fidemque
Argolico juveni: connubia sancta, fugaque
In magna sponsos Asia quaesìsse salutem.
At vos, Christiadae, Patris exorabile numen
Flectitis: exhibito per vos gavisus honore
Ille feram jussit Roma secedere pestem.
At quae magna manet benefactis gratia! quantae
Aerumnae! quanti circum vos agmine denso
Stant luctus! qualis tanto tutela labore
Praesto aderit? Pater omnipotens, tua nomina, prolem
Defende innocuam, quae nullis militat armis
Terrigenûm: Te tantum Uno bene nixa quiescit.

NOTÆ.

[1] *Mater* — Detur hoc filio, qui, post Deum, singulari suos parentes coluit pietate, quique nihil antiquius habuere, quam ut liberos ad omnem humanitatem informarent, detur hoc, inquam, ut grati animi testimonium erga suos exolvat.

[2] *Pagus* — Duo municipia, *Maranum* alterum, alterum *Calvitianum*, tres circiter lapides ab urbe Neapoli distant, et sive salubritate aeris, sive civium frequentia non obscura. Marani orta est *Marianna Criscio* Mater, Calvitiani Pater *Dominicus*, honesto quidem genere et pro provinciali parcimonia aurea mediocritate contenti. Jam Satyr. VI, lib. I. de patre suo dixerat Venusinus:

Si natura juberet
A certis annis aevum remeare peractum,
Atque alios legere ad factum, quoscumque parentes
Optaret sibi quisque, meis contentus honestis,
Fascibus et sellis nolim mihi sumere.

Puteolis, Neapoli, Salerni quo studia detinuere: (Hor. ib.)

Ipse mihi custos incorruptissimus omnes
Circum doctores aderat.

Id unum in aures assidue insusurrabat: (Hor. lib. I, Sat. IV)

Mî satis est, si
Traditum ab antiquis morem servare, tuamque
Dum custodis eges, vitam famamque tueri
Incolumem possim.

Idque profecto non sine auctore faciebat, majorum aliquem civili luce aut sacra praecellentem objiciens. Pietate in Deum genitores ambo certabant, idque diuturnis precibus Deum rogabant, ut filios in Domini timore succrescentes viderent. Largitor bonorum omnium Deus concessit, ut ii suae expectationi non defuerint, domum ampliori censu augerent, eosque, alium Hygaeae, Astraeae doctrina alium praelucentem, tertium sacerdotio inauguratum, et publica non sine laude litteras humaniores docentem viderent. Provecta admodum aetate fato cesserunt, praesentibus filiis, quorum mente et pectore perpetuo vivent.

[3] *Pastor Rosini* — Nemo certe in nostrarum litterarum gloria adeo peregrinatur, qui *Caroli Rosinii* nomen cum debita reverentia non usurpet. In Urbano clericorum Seminario primum alumnus, dein Magister, et Canonicus Neapolit. ad Puteolanum Episcopatum evectus, et ipse litterariae reip. ornamentum fuit, et omnium bonarum artium domicilium Seminarium puteolanum fecit. Singulare episcopalis integritatis et abstinentiae exemplar habitum; qui hausta e publicis muneribus amplissima stipendia, omnia et ad suum Se-

minarium augendum, et ad Puteolos ornandos insumsit. Ea aetas velut aurea Puteolis memoratur.

[4] *Lupule — Lupulorum familia Fractae majoris* municipio nata duos Ecclesiae Episcopos, *Raphaelem* et *Vincentium Lupuli*, et archiepiscopum dedit *Michaelem Archangelum*. Non eos aut generis splendor aut divitiarum copia, sed virtus nobilitavit. Bono litterarum, atque hominum publico nati, qua scriptis operibus sacrae et profanae antiquitatis, qua morum sanctimonia, qua pastorali sollicitudine suas Ecclesias, seque et familiae nomen illustràrunt. Eos materno genere propinquos habuit poeta, et *Michael Archangelus* Archiepiscopus Salernitanus voluit, ut, suo ductu, extremam suae institutioni manum imponeret, primumque in Salernitano Clericorum Seminario studiorum tirocinium poneret.

[5] *Herneste — Hernestus Tacconius* Marchionis Josephi filius. Omni politiorum litterarum laude ornatus Pater, in acerbissimo funere, scriptis elegis suavissimis, paternam aegritudinem effudit. Cineres amatissimos Neapoli in Brutios transtulit, ut Sitizani, in Ecclesia quam familia aedificavit, quaqu? plerumque immoratur, requiescerent. Hoc saltem in summo moerore solatium, quod reliquiae carissimae non procul a paternis oculis abessent.

[6] *Alter erat juvenis — Salvator Sanseverino e Capua*: maius infortunium nobilissimae familiae nequit contingere! Quod, morte imminente, jussit, quotidianum sacrum pro eo facio, ejusque sepulcro ad SS. Severini et Sosii, suorum rogatu, haec inscripsi:

Salvatori e Capua Sanseverino,
Principi Ariciae, et Marchioni Rajani,
adolescenti optimo
qui
mirifica ingenii acie instructus
politiores litteras,
philosophicas et physicas disciplinas
insueta alacritate excoluit,
summamque morum comitatem
et sanctimoniam praesetulit,
pietate in parentes, benevolentia in sorores,
beneficentia in pauperes
commendatissimus
Vix. A. XX.
Dum ea erat aetate, ut omnes confiderent
eum amplissimi generis dignitatem
suae ipsius virtutis luce illustraturum
triduo a suis ereptus:
eoque extincto, qui unica proles virilis supererat,

Domus per universam Italiam clarissima
extinguitur.

Filio desideratissimo
Franciscus comes Saponarae,
Et Constantia Capycia-Zurlo
parentes infelicissimi
Contra votum superstites
M. P.

[7] *Nicoline* — *Nicolaus Nicolini* jurisconsultorum, in urbe, ne dicam in Italia, facile princeps. Sapientissimos veteris et recentioris Italiae scriptores prae manibus semper habuit: Joannis Baptistae Vici, Aligherii, et Taciti studiosissimus fuit; exteros non neglexit, sed nostratibus facilius adhaesit, praesertim in Jurisprudentia, ubi Romanae sapientiae interpretem et explanatorem vides. Ad ultimam senectutem in Regia studiorum universitate jus publicum (*dritto criminale*) docuit. Singulari morum urbanitate, quod perrarum in sene, adolescentium consuetudine delectabatur, sibique nihil erat optabilibus, quam virtuti periclitanti opera aut consilio adesse. Eo viro et sene amicissimo usi sumus. Quae Cato in Senectutis libro de sene sapientissimo perscripsit, in eo omnia vidimus.

[8] *Basili* — *Basilius* Marchio Puoti, optima ingenii indole, et humanarum litterarum studio clarissimus: qui, infusa in Italiam, bellicis incursionibus, morum, linguae, vestium, verborum peregrinitate, ipse unus Neapoli pugnavit constanti et perpetua firmitate animi contra externam contagem. Si neapolitani scriptores, vitata novorum verborum turpitudine, ad germanam aurei saeculi ingenuitatem referri visi sunt; illi uni laus debetur, qui se nullo praemio nec privato nec publico ad hetruscas litteras docendas vertit. Gymnasium florentissimum cultis adolescentibus aperuit, suaque domus bonarum artium fuit officina.

[9] *Mezzofanti*, [10] *Mai* — Joseph Mezzofantius Bononiensis. Quinquaginta linguas, et amplius loquebatur. Praesens aetas vidit hujusmodi miraculum, quod posteris fortasse erit incredibile. Angelus Mai Bergomas, sacrae profanaeque sapientiae fuit promptuarium. Sive e palimpsesto transcriptis, sive e bibliothecis eruderatis in lucemque editis operibus, bono rei litterarum publicae natus fuisse videtur. Cum *Mai* et *Mezzofantii nomine* nemo fortasse Gregorii XVI memoriam non copulabitur, qui una pietatis et sapientiae commendatione ad romanam purpuram eos evexit. Viros clarissimos, quos vivos suspexi, mortuos, sepultosque Romae non oblitus sum. Modesto sane tumulo jacet Mezzofantius ad S. Onuphrii; non sine lacrymis Angeli Mai sepulcrum ad S. Anastasiae vidi, quod vivus sibi faciendum curavit, ipseque inscripsit.

Qui doctis vigilans studiis mea tempora trivi,
Bergomatum soboles Angelus hic jaceo.
Purpureum mihi Sirma dedit, rubrumque Galerum
Roma, sed empireum das, bone Christe polum.
Te spectans longos potui tolerare labores,
Nunc mihi sit tecum dulcis et alta quies.
vivens fecit.

Angelo Majo domo Schilpario Presb. Card.
Titulo Anastasia, S. R. E. Bibliothecario,
Diem suum functo V. id. Septemb.
Anno MDCCCLIV. Aetatis suae LXXII. mens. VI.
Ludovicus Alterius Card. et Dominicus Mostaccius
Ab intimo honor. Sacello Pii IX Pont. Max.
Curatores testamenti monumentum
perfici jusserunt.

[11] *Candentis imagine caeli* — Aegyptiae et Chaldaicae speculationis Graeci participes et suas addidere inventiones pro locorum ingenio, quae incolebant. Olympus mons est Thessaliae adeo excelsus, ut nubes transgrediatur, et passim apud poëtas pro caelo ipso accipiatur, ita dictus quasi ὀλος λαμπρος, totus fulgidus, quia solem clarum habet, nec ullis nunquam nubibus obfuscatur. Ceterùm hebraicae traditiones Aegyptiacis, et Chaldaicis observationibus confunduntur in Zodiaco, qui *Signifer orbis* ab Arato, et *balteus stellatus* a Manilio dictus; et Cic. II. divin, 42. Vim quamdam esse aiunt signifero in orbe qui graece Zodiacos dicitur, talem, ut ejus orbis unaquaeque pars alio modo moveat, immutetque caelum. Mox Olympum obliviscuntur poëtae, et viam lacteam fabulati sunt, caelestes regiones speculati. Et Ovid. I, 5.

Est via sublimis, caelo manifesta sereno;
Lactea nomen habet, candore notabilis ipso.
Hac iter est superis ad magni tecta Tonantis,
Regalemque domum. Dextra laevaque Deorum
Atria nobilium valvis celebrantur apertis.
Hic locus est, quem, si verbis audacia detur,
Haud timeam magni dixisse Palatia caeli.

[12] *Beatas* — Elysium locus erat deliciis omnibus affluens. Alii collocant in insulis fortunatis, *Canarie*, ad latus occidentale Africae, de quibus Horat. loquitur, alii apud Indos, alii in pratis aeriis caelum inter ac terram mediis. Demum Virg. apud Bajas, Aen. VI, 36.

Devenere locos laetos, et amoena vireta
Fortunatorum nemorum, sedesque beatas.
Largior hic campos aether, et lumine vestit
Purpureo, solemque suum sua sidera nôrunt.

E quibus verbis planitiem inter Misenum et Cumas herbescentem licet cognoscere, Romanarum voluptatum sedem.

[13] *Et quo Jessides* — Firmissima catholica veritas est Deum immensum esse, atque ubique praesentem, suaque immensitate caelum terramque implere. Baruch. III. Magnus est, excelsus et immensus. Et Ps. XXXVIII. Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? si ascendero in caelum, tu illic es, si descendero in infernum, ades, si sumsero pennas meas diluculo, et habitavero in extremis maris, etiam illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua. Sic Bernardus Serm. IV in dedic. Deus apud homines malos est praestans, atque dissimulans; apud electos homines operans et servans; apud superos praesens et cubans; apud inferos arguens et damnans. Nec sine mundo sedis indiguit, nec, facto caelo, et condito, mundo sedem, tanquam finitis erroribus peregrinus, invenit. Tertull. adversus Praxeam V. Ante omnia Deus erat solus ipse sibi et mundus et locus et omnia. Quid vero est, quod caelum Dei sedes dicitur, et Christus Dominus orare nos docet: *Pater noster qui es in caelis?* Ideo caelum sibi esse ait, ut Divinitatis sublimitatem admireris, ubi novas gratiae suae gloriaeque divitias uberrime expromit, ubi seipsum suamque divinam majestatem beatis omnibus intuendam praebet, ac fruendam.

[14] *Locaret* — Christianum vatem jam in Dante Aligherio agnoscis praecipua totius operis excogitatione, ubi Novissima hominum pertractantur. Sed in tertio carmine pangendo ad Hebraicam doctrinam sese potissimum transtulit, et Psalmistae meminit: Caeli enarrant gloriam Dei.

La Gloria di colui che tutto muove.

Astronomicam porro doctrinam, quam ea ferebant tempora, sequebatur, suosque planetas felicissimorum incolarum domicilium describit; et demum trans caelum Empyreum Deum ipsum locat,

Che non compreso tutto circoscrive.

Ut cetera omnia, sic finis ipse christiani vatis est; siquidem, oculo in divinae lucis globulo conjecto,

All'alta fantasia qui mancò possa.

Nos XIX saeculo scribimus, et ingeniosissimi vatis vestigiis insistimus.

[15] *Ex quo vir thuscus* — Galileus Galilei, florentinus, qui Copernicanum systema confirmavit, novisque factis additamentis, et telescopio invento, totam rem Astronomicam immutavit. De eo sic cecinit Noster:

Chi è costui, che d'alti pensier pieno
Tanta filosofia porta nel petto?
È il divin Galileo che prima infranse
L'idolo antico, e con periglio trasse
A la nativa libertà le menti:
Novi occhi pose in fronte a l'uomo, Giove
Cinse di stelle; e fatta accusa al Sole

Di corruttibil tempra, il locò poi,
Alto compenso, sopra immobil trono.

Planetarum numerus post Galilei speculationes quotidie crevit, et nunc cum scribo, 50 et amplius numerantur, in unius solis systemate.

[16] *Borussus* — Humboltius, qui anno proximo superiore mortuus est. Nemo profecto adspectabilis hujus mundi universitatem majori diligentia et studio prosequutus est, suasque speculationes diversis terrarum mariumque regionibus collectas evulgavit. Nos *Cosmi* (nomen istud operis) astronomicam tantummodo partem percurrimus: qua rerum omnium naturam Dei dicto obsequentem, divinamque majestatem sese mirabili rerum artificio et granditate prodentem ipsemet physicus saepenumero demiratur, tantumque stupet legislatorem. At porro naturam scrutatus, Naturae auctorem qui in lumine erat, et verum lumen erat, et illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, scrutari neglexit.

[17] *Sancte senex* — Beatus Joannes Evangelista, qui Apocalypsis cap. XXI, 2. caelestis Jerusalem glorias canit, nosque ex eo plurimas imagines expressimus.

[18] *Regis magna aula superni* — Sic Apoc. XXI, 10. Et sustulit me in spiritu in montem magnum et altum, et ostendit mihi civitatem sanctam Jerusalem descendentem de caelo a Deo, habentem claritatem Dei, et lumen ejus simile lapidi pretioso tanquam lapidi iaspidis, sicut crystallum. *Ne templum quaeras*. Apoc. ib. 22. Et templum non vidi in ea; Dominus enim Deus omnipotens templum illius est — *Vestigia formae*. Duplicem Dei cognitionem Theologi agnoscunt, *abstractivam* et *intuitivam*. Illam quidem per creaturas habemus, in quibus divinarum perfectionum vestigia impressa reperimus: de qua Apost. ad Rom. Invisibilia ipsius a Creatura mundi per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur. *Intuitiva* ea est cognitio, per quam Deus in se ipso cognoscitur. *Abstractiva* cognitione Deum cognosci posse certum exploratumque est, quae tamen cognitio obscura est, et imperfecta. *Intuitiva* viatoribus omnino negatur.

[19] *Regesque feruntur* — Quamvis creatus intellectus naturae viribus *intuitivam* Dei assequi cognitionem nequit, cum superno gloriae lumine irradiabitur, tunc Deum, uti in se est, intuebitur. In Ps. XXXV. Apud te est fons vitae, et in lumine tuo videbimus lumen. Et Apoc. XXIII: Videbunt faciem ejus, et non egebunt lumine lucernae, neque lumine solis, quia Deus illuminabit eos, et regnabunt in saecula saeculorum. Et Epist. I: Scimus, quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus, et videbimus eum sicuti est. Tunc similes ei erimus, inquit S. Gregorius Magnus Hom. XXI, in Ezech. Similes ei erimus: immutabimur quippe in ipso quem videbimus; quia morte carebimus videndo vitam; mutabilitatem nostram transcendemus, videndo incorruptionem — *Gloria* — Ecquod istud hujusmodi aeternum Gloriae lumen est, quo natura hominis, seposita per divinam potentiam imbecillitate, ad

Deum infinitum contemplandum adsurgit? Gloriae lumen Deus ipse est, intime beatorum animis praesens, eosque movens, illustrans, ut clare ipsum intueri valeant. Ex his duobus, universa constat beatitudo, quod nempe Deum intuemur, qualis in natura sua et substantia est, et quod divinae *essentiae* absque ullo medio conjuncti, *Deiformes,* uti loquitur Thomas, idest veluti dii efficimur.

[20] *Frondescens arbor ad auras* — In paradiso voluptatis, quo primum hominem Deus constituerat, praeter ceteras stirpes plantasque, duae potissimum nobiles arbores consitae erant, quarum una *scientia boni et mali* dicta, altera *vitae.* Sed Apoc. XXII. Et ostendit mihi fluvium aquae vitae, splendidum tanquam crystallum procedentem de sede Dei et Agni. In medio plateae ejus, et ex utraque parte fluminis lignum vitae afferens fructus duodecim, per singulos menses reddens fructum suum, et folia ligni ad sanitatem gentium. Et alibi: Vincenti dabo edere de ligno vitae, quod est in paradiso Dei mei.

[21] *Procedere gressu*—Sanctus Thomas lumen gloriae praecipue testatur esse augmentum virtutis intellectivae: I, P. quaest. XII, art. V. Cum virtus naturalis intellectus creati non sufficiat ad Dei *essentiam* videndam, oportet, quod ex divina gratia superaccrescat virtus intelligendi, et hoc augmentum virtutis intellectivae illuminationem intellectus vocamus, sicut ipsum intelligibile vocatur lumen, vel lux. Hinc Greg. Nat. in Orat. XX. Mea quidem sententia tunc reperietur, cum Dei forma mens nostra et ratio cum natura cognata conjuncta fuerit, et imago ad archetypum ascenderit, cujus desiderio tenetur. Imitati sumus illud Aligherii, Par. Cant. XV.

L' affetto e il senno,
Come la prima Egualità v' apparse,
D' un peso per ciascun di voi si fenno;
Perocchè al sol, che v' allumò ed arse
Col caldo e colla luce, en sì eguali
Che tutte simiglianze sono scarse.
Ma voglia ed argomento ne' mortali
Per la cagion ch' a voi è manifesta,
Diversamente son pennuti in ali.

[22] *Quo cuncta moventur* — Basilius libr. de Spirit. Sanct. cap. XVII. In lumine tuo videbimus lumen; nimirum in illustratione Spiritus Sancti videbimus Patris et filii gloriam.

[23] *Mentes* — In psalmo LIII aperte dicitur: Qui facit Angelos suos spiritus. Et Apost. ad Heb. 1, 14. Omnes sunt administratorii spiritus. Hinc *incorporeae naturae*, *substantiae incorporeae*, *mentes et intelligentiae* a patribus passim vocantur.

[24] *Millia miriadum* — Danielis XII, 10. Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei.

[25] *Per quem sunt omnia facta* — Sic Joannes initio Evangelii sui praefixit: Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Et Paullus ad Coloss. In ipso (Verbo) condita sunt universa in caelis et in terra, visibilia et invisibilia. Sic Joan. 17. Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum. Et Matth. XVIII. Angeli in caelis semper vident faciem Patris mei qui in caelis est.

[26] *Mille quadrigae* —Ps. LXVI. Currus Dei decem millibus multiplex millia laetantium.

[27] *Daedala tellus.* — Hinc Angeli a S. Gregorio Nysseno *vitae nostrae spectatores* dicuntur, a S. Basilio curatores generis humani, a S. Athanasio praeceptores hominum, a S. Gregorio Ecclesiae inspectores, ab Ambrosio Episcopi et pastores Gregum — *Quatuor aligeri.* Frequens in scripturis est Angelorum missio, caelestem iram terris afferentium. Pro omnibus valet illud Paralip. lib. I, cap. XXI. Misit Angelum in Jerusalem, ut percuteret eam . . . Levansque David oculos suos vidit Angelum domini stantem inter caelum et terram et evaginatum gladium in manu ejus, et versum contra Jerusalem — *Illam urbem cernis.* Similitudinem quamdam cum somnio Scipionis nemo non videt, neque ego inficior, imo Tullii verba ipsa usurpavi, Cap. II. Videsne illam urbem quae parere populo Romano coacta per me, renovat pristina bella, nec potest quiescere? Sed ille Carthaginem ostendebat, nos Romam.

[28] *Imperiis* — Ex Daniele constat alium ex Angelis Persas moderari, alium Graecos; nec solum singulis gentibus, sed et singulis quoque Ecclesiis Angelos praeesse Origenes ex Apoc. cap. I arguit.

[29] *Majorve minorve* — II, ad Corinth. IX. Qui parce seminat, parce et metit. Et I, ad Cor. III, 8. Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. Quam quidem mercedem aequalem non omnibus esse Christus Dominus docet apud Joan. XIV, 2. In domo Patris mei mansiones multae sunt.

[30] *In aenigmate* — Paulus ad Corinth. I, 13. Videmus nunc per speculum in aenigmate, tum autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicuti et cognitus sum.

[31] *Foederis ara* — De duplici foedere hebraeo christianoque alias plura diximus. Praeclare Greg. Magnus Homil. XVI. in Ezech. Ipsa fides, atque ipsum meritum tenuit corda praecedentium, quae replevit corda sequentium sub Testamento novo positorum. Sed fugatis tenebris, quae lux splendidissima in novo foedere apparet! in quo non per typos et aenigmata, sed disertissimis verbis arcana Mysteriorum fides a Deo ipse revelatur. Tunc e Christi Domini ore auditum, Matth. XXVIII. Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra.

[32] *Insigne volumen* —Apost. ad Rom. VIII, 30. Quos praescivit et praedestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et justificavit; quos au-

tem justificavit, illos et glorificavit. Quod idem illa Apoc. verba ostendunt XXI, 27. Non intrabunt in eam (gloriam) nisi qui scripti sunt in libro vitae Agni.

[33] *Non enarrabile nomen*—Ps. XVII, 12. Posuit tenebras Deus latibulum suum; et Psal. XVII. Deus habitat lucem inacessibilem. Quamvis ergo Ps. LXXVI ait vates: Effunde iram tuam in gentes quae te non noverunt, et in regna quae nomen tuum non invocaverunt, id eo sensu accipiendum, quod Deus *invincibiliter* ignorari nequit. Ego sum qui sum, ipsemet ait; unde nomen illud sanctissimum Jehova, quo nimirum Deus indicatur *qui est.* Quod ipsum nomen Deuter. XXXVIII, 52. Gloriosum et terribile dicitur.

[34] *Patrisque* — Sic mens humana divinitate permeatur, ac possidetur. Opportune Gregorius Nazianzenus Orat. XV, de electis: Illos quidem lux omnis sermone praestantior excipiet, et Sanctae regiaeque Trinitatis purius jam et clarius illuminantis, totamque se cum tota mente miscentis contemplatio; in qua ego vel sola regnum caelorum maxima ex parte positam esse censeo.

[35] *Aut exaudito eloquio* — Sunt ipsamet verba Pauli. Ad Cor. II. XII. 2. Scio hominem in Christo, sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio, Deus scit, raptum hujusmodi usque ad tertium caelum. Et scio hujusmodi hominem, sive in corpore, sive extra corpus nescio, Deus scit, quoniam raptus est in Paradisum, et audivit arcana verba, quae non licet homini loqui.

[36] *E sanguine nostro* — Apoc. VI, 10. Et clamabant voce magna dicentes: Usquequo, Domine (sanctus et verus) non judicas et non vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terra?

[37] *Ad solium* — Apoc. ib. Et dictum est illis, ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conservi eorum, et fratres eorum qui interficiendi sunt, sicut et illi — *Ecce inopina lues.* In Tacito lib. XII. 13. legimus: Tot facinoribus foedum annum etiam Dii tempestatibus et morbis insignivere. Vastata Campania turbine ventorum, qui villas, arbusta, fruges, passim disjecit, pertulitque violentiam ad vicina urbi. In qua omne mortalium genus vis pestilentiae depopulabatur, nulla caeli intemperie quae occurreret oculis. Sed domus corporibus exanimis, itinera funeribus complebantur; non sexus, non aetas periculo vacua; servitia perinde, et ingenua plebes raptim extingui inter conjugum, et liberorum lamenta, qui dum adsident, dum deflent, saepe eodem rogo cremabantur. Equitum, senatorumque interitus, quamvis promiscui, minus flebiles erant, tanquam communi mortalitate saevitiam principis praevenirent. Paulus vero Orosius lib. 7. cap. 5. ait: Primus (scilicet Nero) Romae Christianos suppliciis et mortibus affecit, ac per omnes provincias excruciari imperavit . . . . Mox acervatim miseram civitatem obortae undique clades oppressere. Nam subsequente autumno, tanta urbi pestilentia incubuit, ut triginta millium funerum in rationem libitinae

venirent. Quae Orosius certe ex Svet. in Ner. cap. 39 excripsit: Accesserunt tantis ex principe malis probrisque et quaedam fortuita: pestilentia unius autumni qua triginta funerum millia in rationem libitinae venerunt. Ut extrema Svetonii verba intelligas, praesto est Dionysii Halicarnassensis locus, qui l. 4. scribit: Servium Tullium, quo numerum nosset quotannis obeuntium, imperavisse, ut nummus in templo Veneris cognomento Libitinae ferretur, quoties quis naturae concederet. *Libitina* vero Dea erat, in cujus templo vendebantur, et locabantur ea quae ad sepulturam pertinebant. Dicebatur eadem Venus libitina, quae ortui et interitui praesideret, homines admonens exitum ab ortu non procul esse — *Mirabile Matrum*. Quae, pestilentia saeviente, canimus, ea sunt, quae publicis omnibus calamitatibus Ecclesia ubique obtulit. Jam exorta fame sub Claudio, collectas agi in Ecclesia vidimus, ut in Oriente potissimum fratribus opitularentur. Diaconorum officium praecipue creatum, ne viduarum, orphanorum infortuniis solamen deesset, et Romae Diaconissarum munus, primis ipsis Rom. Ecclesiae incunabulis in honore habitum vidimus, ut ad omne humanitatis genus praesto essent.

[38] *Pelasgi* — Delphicum oraculum celebratissimum apud omnes gentes fuit, sed in ea urbe Phocidis, imo in templo ipso Apollinis ab Amphictyone Heleni filio institutum publicum concilium, constans e septem Graeciae civitatibus celebrabatur. Amphictyonicae leges ibi latae sunt, quae totam Graeciam ad concordiam invitabant.

[39] *Tripodis* — Sella fuit in templo Apollinis, quae tribus pedibus sustentabatur, in qua Phoebas, seu mulier Sacerdos Apollinis sedebat, et responsa dabat.

[40] *Discipulos* — Christi parabola, quam habemus Evang. Lucae, X, 33. Samaritanus autem quidam iter faciens, et videns eum misericordia motus est. Et appropians alligavit vulnera ejus, infundens oleum et vinum, et imponens illum in jumentum suum duxit ad stabulum, et curam ejus agit. Et altera die protulit duos denarios, et dedit stabulario et ait: curam illius habe. Summa narrationis haec fuit: Vade, et tu fac similiter. Ipse idem humani generis Reparator alibi edixit: *Beati qui lugent;* ipse idem mortalitatis onus ferendo sanctos fecit dolores. Quod igitur natura ipsa, misericordiae officium in aerumnosos humanis animis indidit, ut inhumanus merito dicatur, si quis alienis malis gaudeat, Divinus Evangelicae legis lator perfecit. Quid si ab Ipso audiamus: Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis? quanto animi ardore, alienis necessitatibus suppetias feremus? Sed hujusmodi sacrificium in Ecclesia Catholica tantummodo reperies, in qua conclamatur: Ille animam suam pro nobis posuit, et nos debemus pro fratribus animos ponere.

[41] *Ille volo exclamat* — Est ipsamet Romanae Ecclesiae interrogatio: N. vis accipere N. hic praesentem in tuam legitimam uxorem juxta ritum Sanctae Romanae Ecclesiae? Horum rituum descriptione, ne quis ar-

bitretur me recentiora fortasse tempora secutum. Sacramentorum res est integra, seu materiam, seu formam specularis, neque temporum, neque locorum varietate immutata. Idque catholicae Ecclesiae privilegium singulare fuit, ut necessariis quibus constat elementis, eadem semper et ubique fuerit, qualis a Christo Domino fuit instituta.

[42] *Respice* — Aliae Ecclesiae preces. Mitte ei, Domine, auxilium de sancto, et de Sion tuere eum. Esto ei, Domine, turris fortitudinis, a facie inimici; nihil proficiat inimicus in eo.

[43] *Egredere* — Sunt extremae preces, quibus Ecclesia morituros comitatur: Proficiscere, anima Christiana, de hoc mundo, in nomine Dei Patris Omnipotentis qui te creavit, in nomine Jesu Christi, Filii Dei vivi, qui pro te passus est, in nomine Spiritus Sancti, qui in te effusus est . . . Hodie sit in pace locus tuus et habitatio tua in sancta Sion. Si unus Dominus, una fides, unum baptisma, postquam Catholica Ecclesia, Sacramentorum ope, quae sunt Spiritus, in mortali peregrinatione curavit, materna sollicitudine allaborat, ut immortalem patriam filiis acquirat.

[44] *Vinea* — *Vinea electa* in Scripturis Ecclesia saepe vocatur, et hujus vineae glorias prosequitur Psal. LXXIV, 10, 11, 12. Plantasti radices ejus, et implevit terram. Operuit montes umbra ejus . . . Extendit palmites ejus usque ad mare, et usque ad flumen propagines ejus. Sic *segeti* etiam Ecclesia comparatur. S. Leo Nat. Apost. serm. Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur, et semper Dominicus ager segete ditiori vestitur, dum grana quae singula cadunt, multiplicata nascuntur. Unde duo ista praeclara divini germina seminis, in quantam sobolem germinârint, beatorum millia martyrum protestantur.

[45] *Morte* — Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.

PETREIDOS

LIBER XXI.

ARGUMENTUM

Divinus Internuntius in Orientem allatus, pacem, caeleste pignus, avocat — Occulta seditio in apertam vim contra Romam erumpit, totaque Judaea Romanae acies exire coguntur — Primores provincias inter se partiuntur, seque contra hostium vires muniunt — Romanae sive potius divinae ultionis ductor Vespasianus erat a Deo praesignatus — Bellum Judaicum capessit Nero, brevique audit Vespasianum multis gravibusque praeliis devictos Judaeos intra muros Jerusalem coegisse — Rerum gestarum felicitas Vespasiani nomen ei reddit suspiciosum — Quin etiam de urbe ipsa timet, et aspectu impendentis procellae horrescens, Romam novis funeribus conturbat — Silanum Barium exulare jubet, Cassium caecum domi interficit — Comi sermone milites, multitudinem blanditiis, et spectaculis delinit — Sed majorem terrorem ipsum Petri nomen injicit — Cujus facinora Satanas ipse accensa jam mente exaggerat — Utque Christianae rei augmenta novis superstitionibus abrumpat, Simonem Magum supponit — Qui novis praestigiis et diabolico auxilio suffultus per aera volitare pollicetur — Huic spectaculo Vaticana planities destinatur — Sed novis superstitionibus jam sacratum collem contaminari audiens Petrus, cum Paulo ad Vaticanum pergit, ut cum hoste cominus congrederetur, Deique gloriam defenderet — Tota planities spectantum multitudine oppletur — Jamque, animis inopina rerum expectatione trepidantibus, in aerem assurgere Samaraeus nitebatur, cum Christiani duces, ferventiore Deum prece obtestantur, ut virtutis suae mi-

raculum ostenderet — Continuo Simon, alis deciduis et ipse praeceps proruit — Et crurifragio expirat — Spectaculum turbatur — Turba aufugientium Nero ipse abripitur — Sed Petrus ex latebris egressus, foedamque fugam sistens, omnia conclamat caelesti ope facta; caeli terraeque conditorem Deum Samaraei superbiam humi deturbâsse — Huic uni veroque Deo gloriam et honorem debendum — Sed haec et talia conclamantem deprehendit Petrum immissa militum cohors — Cumque ductor Scapulas Christianorum proceres captos esse novit, laetitia exultans in mamertino carcere eos includi jussit — Jamque rumor ipse totam aulam commoverat, primusque Nero et Scapulae praemium amplissimum spondet, et captivos per totam urbem ludibrio expositos virgis caedi jubet — Inopino vulnere consternati Christiani ad Ecclesias frequentissimi accurrunt — Sed Pontificis vicarii, Linus, et Cletus, ne majora Ecclesia caperet detrimenta, hortantur domos redire, ibique caeli auxilium valentius quam hominum apprecari — Interea e mamertino carcere educti Pontifices per urbem vehuntur, populo circumfremente, eosque flagris, lapidibus, sibilis excipiente — Incedunt magnanimi duces, constanti silentio, tantumque Deum collaudantes, quod in nomine Jesu contumeliam pati dignarentur — Immanitate supplicii excitati tres milites saevientium turbarum impudentiam objurgant — Ad columnam alligantur captivi, ibique flagellis caeduntur — Romana plebs ipsa misericordia commovetur — Sunt qui benefacta commemorare audent, et praesertim lue saeviente — Seque inter conquerentes miscens Clemens Romanus, Romae nova divinae indignationis documenta portendit — Sed ignotus quidam Petri ope praesentissima morte liberatus, districto gladio cum filiorum turba in medium veniens, funes exolvit — Gravis exoritur tumultus, et popularem metuentes seditionem milites, extra portam Tergeminam sanctissimos proceres ejiciunt — Ubi sordidatus popellus eos omni sollicitudine circumdant, corpora curant, et reficiunt, Apostolis mirantibus tantam caritatem in sordidissima urbis regione — Neque multo post Scapulas supervenit — Qui ob seditionis metum captivos relictos aegre ferens, militari cuneo circumjecto, eos reprehendit, inque extremam poenam reservatos Mamertino eos reddidit — Roma interea novis spectaculis excitabatur ob Persae Tiridatis adventum — Qui, cum Corbulone pactis conventis, oblatum imperatoria manu Armeniae sceptrum reciperabat — Neapolim usque, cum toto Senatu progressus Nero, Regem cum ingenti comitatu expositum in conspectu urbis celebratissimae excipit — Persici apparatus et romana magnificentia certârunt — Puteolos concurritur, ubi sumptuosissimum munus a Patrobia liberto exhibetur — Toto die certatum in Amphitea-

tro — Postea triumphalis extruitur pompa —Persae, Romanique Romam versus obequitant, viis omnibus populari plausu circumsonantibus — Ingressus in urbem, et solemnis triumphus pompis apparatissimis celebratur, et a Nerone Arsacidarum genus Armeniae rex inauguratur — Sed quamvis Persa ante Neronem submissus humilisque victus videretur, victor profecto fuit — Persicis ceremoniis captus Nero novarum superstitionum in aula doctorem habet; magicis sacris privatim, publiceque immoratur, Hierophantis ducibus ac magistris — Parte alia Petrus in carcere captivos honestiori vitae reddere conabatur — Jamque Christo aliquot lucrifecerat — Ceteris eos deridentibus, disruptis continuo saxis inopinus in carcere fons exiluit — Derisores praesenti signo conterriti Christum amplectuntur — Duplex nuncius Petro affertur: alter de Timothei, Ephesini episcopi, alter de Matthaei Apostoli apud Aethiopas obitu — Sed tristitiam temperant legati Indiae, qui Thomae duplex miraculum celebrant, et Sagami regis observantiam primo Christianorum regi profitentur — Processus et Martinianus, carceris custodes, tot signis perculsi carcerem introeunt, seque pontificiis pedibus obvolvunt — Ita carcer et Christianorum frequentia, et miraculorum magnitudine nobilitatur — E Capitolio accurrunt et ipsi Mithrae sacerdotes—Inter quos Phraaz, hierophanta, Romae ab Arsacida relictus, de persicis et romanis sacris male ominatur.

Quae tuba terribilis, sonitu procul icta sinistro
Increpuit? tanto quidnam circumfremit orbis
Eous strepitu, convulsaque sedibus imis
Aestuat indomito tellus Judaea tumultu?
Divini apparent praenuntia signa furoris?
Candentes humeros densa caliginis umbra
Obsitus, aeria Libani vix fronte resistit
Angelus, irati portendens jussa Tonantis,
Continuo perflans divinae spiritus irae
Sacrilegam peragrat terram: pax aurea, caeli
Delicium, pennis repetit fugientibus axem;
Coetus ecce autem invisos turbasque nocentes
Exagitat demens vario discordia motu,
Inque suam caeci conjurant sponte ruinam.
Munere Pontificis senior dignatur Ananus [1]
Immortale odium, et nunquam sanabile vulnus
Contra Romanos servans: comes additur olli
Gorionis natus Joseph; quae cuncta per urbem
Praecipienda, ollis summa est concessa potestas.
Qui prior audaci amplificans mendacia lingua
Impulerat patriam non aequa in bella quietam,
Oppida palmiferae regnanda Eleazar Idumes

Seditione potens, Galilaeas suscipit ambas
Matthia genitus, doctrina insignis et armis
Joseph, disponitque acies atque oppida munit.
Qui furor est animis? qui regna Aegyptia, quique
Florentem Syriam, qui vastas Asidis oras
Europamque tenent, judaeo sanguine creti,
Idem raptat amor belli: concurritur unam
In Solymam; mentes rabies ignota fatigat
Excussas, monstri neque caecae prima tremendi
Principia agnoscunt: agnoscit maxima tellus
Gnara operum, semperque suo obsequiosa Parenti:
Flumina turbantur tremefacta, elataque circum
Culmina terrifico resonant percussa fragore.
Ecce oratores romana e gente profecti
Attulerunt magno passim Judaea tumultu
Oppida turbari, totam consurgere gentem,
Effusaque fuga latias cessisse phalanges.
Quid faceret Caesar tanta formidine rerum?
Ecquisnam subeat tanti molimina martis?
An galea insuetum caput induat, agminaque armet
Ipse, et Romanis ductor pugnantibus addat
Virtutem, fatique dati promissa sequatur?
Et faceret: strepitu sed consternata propinquo
Aulica nequities polluta detinet urbe.
Tanti ductorem belli Deus ipse parabat,
Jampridem varii per aperta pericula martis
Instructum caeli horrendas tractare sagittas.
Vespasianus erat. Cunabula prima Reate [2]
Obtulerat veteri romana colonia stirpi.
Flavî qui generis primus Petronius auctor
Dictus, Pompeium per civica bella secutus,

Vidit ubi Magni adversum pallescere sidus,
Projecit clypeum romano sanguine foedum,
Pharsalon fugiens: sequitur quem deinde Sabinus
Remque domumque juvans: quae munera parva coactor
Indigus in patria pater exercebat, opimae
Per campos Asiae missus tractare, locuples
Ipse novas aggessit opes, et foenore adauxit.
Cui duo prognati pueri: qui maior, amicae
Otia pacis amans, sequitur civilia jura,
At clypei, atque enses semper placuere minori;
Ille patrem adsimili referebat nomine: natus
Vespasiae voluit patriae de nomine dici.
Crevit bellator sub romula signa secundis
Auspiciis, solioque viam affectavit opimo.
Impavidum vidit Thrace implacata tribunum.
Postmodo Cyrene, et centum memorata per urbes
Crete quaestorem excipiunt: dum cognita virtus
Haud aliter suspecta foret quam crimina, Caio
Principe, delituit tutus: sed Claudius umbras
Deseruisse jubet: vidit Germania pugnax
Ducere romanas legiones: inde jubetur
Visere submotos divisos orbe Britannos,
Devicitque hostem crebro, virgaeque latinae
Addidit abruptam Vectem, quam extare minacem
Fluctibus e mediis immota Britannia spectat,
Inde triumphator, trabeamque indutus honoram
Consulis imperium accepit, validasque secures,
Et mox arentes abiit Proconsul ad Afros.
Multa tamen simulans coepit servire Neroni,
Et placuit, meruitque ferum comitare tyrannum
Per graecas urbes: sed fors inopina periclum

Exitiale tulit, nemorumque inglorius umbris
Ignotam vitam prope jam moriturus agebat,
Cum subito erumpunt Judaei incendia belli.
Anxius ipse Nero ancipiti terrore, nec audens
Instruere ipse acies, nec sese credere campo,
Cogitur invisae virtutis poscere nomen.
Heu! tibi jam exitium, Judaea insana, propinquum
Portendo! quoties ingratam voce manuque
Admonuit Jesus! quoties veniae ipse paratus
Et patiens monuit sordenti exurgere coeno,
Et scelere absterso meliorem insistere vitam!
Desipiens, ausa es facinus patrare nefandum.
Judaeum primum sceptrum mavortia Roma
Eruet: externas laxabit postmodo gentes
Barbaries, dabiturque avido fera praeda latroni
Romanum imperium geminato verbere quassum.
At dum Judaei gravis urget imago duelli,
Seditio Romae graviores asperat iras.
Tum duo [3] servili fuerunt decreta senatu
Exilia. Aegrotus quamvis graviore senecta,
Cassius, atque oculis captus migrare jubetur
Sardiniam, qua stagna vadis corrupta, febresque
Infames aegram possent absumere vitam.
Carcere praetorî abreptus, vinctusque Silanus,
Nocte intempesta, Tiberina sub ostia fertur;
Tyrrhenoque innare mari, totoque coactus
Jonio Barî munita occluditur urbe.
Pugnandi effigiem non ipsa in morte reliquit.
Centurio ad caedem missus abrumpere venas
Suadebat; tamen ipse necis foedo invidet hosti
Arbitrium, certusque mori contendit inermis.

Corpore praevalidus, rabidamque effusus in iram
Ille ausus manibus nudis intendere crebros
Ictus, et contra venientem irrumpere turmam,
Vulneribus donec gravibus, fusoque cruore
Exanimis cecidit, medii ceu pulvere campi.
At quamquam ingenti passim formidine corda
Strata jacent, humilisque stupor contristat iniquis
Tantorum attonitam scelerum terroribus urbem;
Unum consilium cunctis: uno ore Neronem
Principium exitii agnoscunt, causamque malorum.
Phoebaei monitus rumor per compita spargit
Infenso capiti invidiam, maiorque calescit
Seditio; qualis medio persaepe Novembri
Cum nigro aggestae coalescunt turbine nubes;
Incipiunt venti sensim consurgere, jamque
Antevolant tenui stridentes murmure; certam
Portendunt cladem arboribus subitamque ruinam;
Haud aliter praeeunt civilis certa tumultus
Indicia, et dudum rabies compressa videtur,
Objicibus ruptis, inopina erumpere flamma.
Mussant aulicolae ancipites, dominoque Nerone
Innixam imperii sortem rerumque suarum
Cernunt, et vario miscentur pectora motu.
Magnanimos proceres, priscae exemplaria Romae
Natorum quaerit pietas, notosque propinquos
Lugent occulto percussi vulnere amici.
Quod tamen exercet curis majoribus aulam,
Christiadûm est nomen; soli pugnare videntur
Principis ingenio; soli contendere visi
Turpibus illecebris, hominum nova monstra, professi
Insuetum morem, et sancti miracula cultus.

Queis res nulla domi, sed rerum nulla cupido;
Ignotus timor est, lethumque, et ahenea spernunt
Vincula ridentes; non ipsa incendia curant,
Flammarumque rogos. Nuper ludibria Romae
Reddita, dum lethi laniantur mille figuris,
Non modo non justis odiis odere cruentum
Carnificem, sed soli ausi consistere Romae:
Contage in media dum quisque pericula vitat,
In certam vadunt mortem: asperiora pericla
Securi subeunt, certi succurrere Romae.
Quid mirum si Roma stupet miracula tantae
Virtutis? si Roma pedum vestigia adorat
Suppliciter, sanctosque salutiferosque salutat?
Anne Palaestina pulsos regione putandum est
Hebraeos Romam properare, atque arce Quirini
Condere maiori firmam fundamine molem?
At non Judaeos tantum contagia laedunt.
Judaeusne Pudens, qui primus dicitur hospes
Christiadûm excepisse genus? Servilia nonne
Externi cultus patuit rea crimine? nonne
Graecina? ecce autem pandit sua limina dives
Lucina, atque suas auro argentoque gravatas
Arcas recludit. Non tanto cardine stabit
Res; aut Christiadûm occultatur nomine secta,
Fumiferis Romae super extructura ruinis
Judaeum imperium, aut astu fabricata maligno
Altera fraus latuit. Non tutum credere paci.
Talia flammata supponunt mente dolosi
Caesaris asseclae: tamen ostentare quietem
Confidunt coram, verasque subesse timoris
Caussas dissimulant, mentemque animumque retorquent

Rerum eventuris, tantum et praesentia curant.
At non caesareae poterat requiescere mentis
Inconstans levitas: quid enim si oriente remoto
Romanas aquilas judaeo sanguine tinget
Vespasianus ovans, et profligabit iniqui
Hos tantos belli motus? non laurea victrix
Regnandi suetos olli inspirabit amores?
Ipse triumphator privata sorte manebit
Contentus? Roma in media, sub Principis ora
Inter se proceres conjuravere latenti
Concilio. Quamvis oppresserit omnia felix
Dexteritas, falsa sub proditione necati
Extimulant vivos in aperta pericla propinquos.
Conscia criminibus magnis, parere coacta
Sensilibus formis, tenui mage lubrica vento
Turbatur ratio: et capiti simul incidit aegro
Insolitus fervor, nulla attenuare dolentis
Cordis amaritiam, priscum revocare vigorem
Nulla queunt: vilis timidusque furente procella
Pallescit, tutus contingere vertice caelum
Credit, et insano vaga laxat frena furori.
Nec segnis Satanas campum fremebundus opimum
Deseruit. Dudum coacervato aggere busta
Viderat: assuetus mediis errare ruinis
Praeterea ingentem prolapsam in Tartara praedam
Corpora Romulidûm truculenta peste cadentum
Conspexit ridens: Nostro quae gloria regno
Succrescit! quanto tenebrosa replentur Averna
Confestim populo! inviso jam sanguine certum
Imbutum bellum! infensis rumoribus urbes
Christiadas contra excussae, caedesque peracta.

Credo equidem: ipse fero demessos funere Rector
In superam avexit sedem: sed maxima tellus
Porro ablata olli: neque prisca resumere jura
Confidet. Quid si nostris imperditus armis
Hactenus, ipse Petrus truculenta morte jacebit?
Quidnî divinum terris delere parârim
Nomen, et accipiat primos Deus alter honores?
An se alius nobis terras conferre per omnes
Audebit? Nero noster adest: fidentior ibo.
Divini titulos juris confundere quaeram.
Talia volvebat secum, et majora capessens,
Praecipue Petrum studio insectatur iniquo,
Christiadûm regem ingentem, mundique recentis
Ductorem: nisu hunc omni deperdere tentat,
Deque gradu jacere in vulgus, aliumque novarum
Sufficere auctorem rerum, mirumque magistrum.
Jamque opere in tanto Samaraeus se obtulit illi
Simon, qui diro sese devoverat Orco,
Sacrilegos ipso ritus edoctus Averno.
Artibus hunc iterum stygiis totum instruit, atque
Mirabunda dedit vulgo, totamque movere
Inventis rerum monstrisque recentibus urbem,
Quadrijugo elatum ostendens super aethera curru.
  Tum vaticani legitur vasta area Circi,
Qua nova romanae pateant spectacula plebi.
Nec pudet, o miseri, calida jam caede rubentem
Visere convallem? qua sancta tropoea locantur,
Atque ubi sacrato signatum sanguine veri
Emicuit jubar, insani mendacia cultus,
Tentamen magicae audetis protrudere fraudis?
Omnia quae Simon fastu tumefactus inani

Romana in Christi Sanctos patrârat in urbe,
Quaeque sibi majora animo spondebat iniquo,
Non latuere Petrum. Qui saevum fregerat hostem
Judaeis campis, pretio cum quaerere dona
Flaminis auderet, simul ac populosa Quiritum
Compita lustrantem lethale inspergere virus
Audiit, atque astu ignaram deludere plebem;
Ardet inexhaustis iris, statuitque pudendum
Ulcisci scelus, et dignas exposcere poenas.
Ergo sic Paulo: Audistin? nova suscitat arma
Infandis hominum conspirans viribus Orcus.
Scilicet incestus Samariae proditor, olim
Qui Judaeam omnem, atque omnem turbavit Idumen,
Nubila caeca ferens, et spectris oppida miris
Terrificans, Romam monstris ingentibus implet,
Pollicitus populo spectacula mira sequaci,
Laetitiam fastumque Erebo allatura superbo?
At non Pontificem tanto obmutescere casu
Fas erit: ipsa eadem impetitur divina potestas
Crimine sacrilego: quid desperatus inausum
Praetereat Satanas, faciat si talia Simon?
Nec primam horrescis, pestis Samaraea, ruinam?
Jamque rubescebat radiis Aurora decoris,
Christiadûm ingentem Romae visura triumphum.
Ecce autem primi solis sub lumina Pastor
Cum Paulo comite egreditur, vallemque capessunt
Ingentem, subitusque novas dolor excitat iras:
Ergo sic Petrus: Sancto respersa cruore
Culmina, turpe nefas! probris temerare profanis
Perfidus audebit? vestris haec cognita tellus
Martyriis vestra est, mundi praeclara recentis

Sidera: quin potius justas sacrabimus aras,
Annua qua seri celebrabunt sacra nepotes,
Et vos Indigetes primos in vota vocabunt.
Talia dicebant secum, densique subibant
Luxuriam nemoris, patulaque sub arbore flexi
Auxilium assiduis precibus caeleste petebant.

Jamque adeo studiis aulae commota secundis
Fama urbem excierat totam, populosque propinquos:
Gens turmatim omnis Circi vacua atria complet,
Excita visendi studio; patresque equitesque
Immixti plebi occurrunt, primumque Neronem
Ludorum auctorem laudant, atque ora tenebant,
Sicubi praepetibus pennis se credere caelo
Incantatorem adspicerent. Jam venerat hora,
Et Simon animis cadere, et pallere periclo
Vicino, atque arti coepit diffidere vanae.
Ast olli aerio circum velatus amictu,
Nulli observatus, Stygiis e fratribus unus
Adstitit, et sic hortari: Nunc arte magistra,
Nunc opus ingenio, Simon; depone timorem:
Ipse tibi custos adero; mea brachia corpus
Sustentant tibi; ne dubita, perque aera magnum
Ipse adero. Cernis? populi quae murmura! quanti
Circumstant strepitus! nempe haec te tota corona
Admirans plaudet: divinos reddet honores
Illa tibi: tota Simon clarescet in urbe.

Ergo iterum adsumens animos, fisusque petenti
Auxilio Ditis, se se incantator aperto
Libràrat caelo. Jamque atria, summaque tecta,
Turresque, atque vias plebs undique densa tenebat,
Attonitis inhians animis: complectitur illum

Continuo nubes magicis interlita signis,
Multicolor: nube in media magus eminet ardens
Numinis os habitumque gerens, sceptrumque coruscans.
Pleno facta foro tunc alta silentia: turbae
Procubuere solo numen caeleste colentes
Supplicibus verbis: sed pone in valle reducta
Occultus steterat Petrus. Nam tempore primo,
Cum pia Relligio terras versata per omnes
Errorum offusas satagebat pellere nubes;
Bissenique viri, doctrinae luce recentis,
Pubentem terris sobolem caeloque fovebant,
Naturae suetas dederat suspendere leges
Ipse opifex rerum, mortales saepius oras
Numine maiori visens, operique ministrans
Auxilium praesens. Hinc passim mira facessunt,
Eventura canunt rerum, atque absentia nôrunt.
Simoni exhibitum obsequium, vulgique stuporem
Ignari spectans justa Petrus aestuat ira,
Incaluitque precans: Te te, Pater optime caeli,
Impurum crimen poscit. Tua jussa, tuumque
Nomen adorantes animos avertere quaerit.
Solve, Pater, solve insidias; urgente ruina
Ejice praecipitem, Omnipotens; tua robora dextrae
Sentiat. Effatur Senior vix talia, Simon
Ancipiti primum visus trepidare volatu [4]:
Seque per aerios frustra defendere campos.
Mox desunt alae: excutitur, pronusque per auras
Volvitur in caput, et saxis illisus acutis
Ossa serit late fracto disjecta cerebro.
Sanguinolenta rubet tellus, podiumque Neronis,
Aurea sella rubet foeda respersa cruore.

Omnia turbantur propere spectacula: fugit
Territa plebs; mixtim fugere equitesque patresque.
Ipse Nero, magno ceu tactus numine, fugit:
Jamque timens plebem, subita ne insurgeret ira,
Deseruit properans Circum, validaque cohorte
Obseptus consternata se involvit in aula.

At Petrus ingenti conclamans voce, paventes
Hortatur, retinetque gradum: Compescite gressum:
Sistite, Romulidae, et diae miracula dextrae
Suspicite. Ecce Deus, summi qui sidera caeli,
Qui mare navigerum, qui terras frugiferentes
E nihilo fecit, quique idem numine summo
Cuncta regit; Deus ipse dolis doctumque malignis
Artibus, et populos turpi fallaciter astu
Ludentem plexit caeloque ejecit ab alto.
En ego: me sanctae referentem munera lucis
Demisit Genitor Romam: vix vota labello
Pauca tuli, (tacite stantem, votisque precantem
Angulus ille diu tenuit) cum protinus aethra
Dejectus Simon eliso corpore poenam
Eluit infelix. Ah! vestra piacula culpae,
Romulidae, lugete: Deo date thuris honores,
Et Christo unigenae: et lympha properate salubri
Infectum lustrare genus: sic semita caeli
Pandetur vobis: sic vos dignabitur aula
Stelligera omnipotens, benefactis praemia solvens.
Talibus orabat Petrus, stupefactaque turba
Auribus immotis omen caeleste ferentem
Audierat supplex; tremere omnia visa repente
Armorum sonitu, subitoque inimica propinquant
Agmina. Ceu stimulante fame vis magna luporum,

Magnanimos Christi heroas, urgente ruina
Nullo terrore exanimes, nullumque petentes
Auxilium circumsistunt: sed cominus instat
Militiae ductor Scapulas, atque increpat ultro,
Fulmineo incumbens gladio: Compescite gressum,
Hebraei indecores: unde haec fiducia genti?
Pernicies Romae, nimium crudele luendum
Supplicium vobis, quos longa per aequora vectos
Cepimus hospitio: et vos contra omnia jura,
Mira per incautum seritis contagia vulgus.
Talia praefatur, dumque aerea vincula nectit:
At vos quinam estis tandem? quae nomina? Rector
Ipse ego Christiadûm, romani pastor ovilis,
Petrus ait. Christi sanctum diffundere nomen
Missus ego, adjecit Paulus. Neque tanta latebant
Nomina ductorem: presso ipse obmutuit ore.
  Continuo totam bacchatur fama per urbem
Christiadûm proceres captos: fragor intonat ingens,
Concita quem Romae septena cacumina reddunt.
Laetifico stygiae strepitu infremuere catervae,
Perque urbem cursant totam, strepituque resultant
Dissita terrarum, totusque remugit Avernus.
Ac veluti celsis si armatus moenibus hostis
Improvisus adest, trepido turbata tumultu
Urbs reboat; raptis concurritur undique telis,
Qua densas tulerint acies propiora pericla;
Haud aliter tectis se Roma effundit apertis.
Tartaream intendit vocem cornu ipse recurvo
Laetitia insanus Satanas, ululatibus arva
Responsant longe resonis: cocytia turba
Agmina consternata vocant, acuuntque furores.

Saevit amor ferri: pars foedam accurrit ad aulam,
Militiae proceres aderant, laetoque Neroni
Gratantes, justas poenas uno ore reposcunt;
At vaticanos alii procurrere ad hortos
Ancipiti ferro: strictis seges ensibus horret.
Postquam complexi medios, via nulla patescit
Effugii, innectuntque manus humerosque catena
Ingenti, circumque globus densissimus urget.
Ad capitolini [5] montis declivia dirus
Carcer erat. Spectans Ancus concurrere Romam
Innumeros populos, et clandestina patrari
Crimina, terrificam ingenti munimine molem
Extolli, jussitque foro impendere, minanti
Adsimilem, et poena instabilem compescere vulgum.
Ceu cum saevit hyems glaciali sidere brumae,
Aggeribus tellus niveis informis et alta
Undique septa jacet glacie; si forte viator
Faucibus imprudens nemoris se credit apertis,
Descendunt celsis stabulantes montibus ursi,
Suadet enim vesana fames; stetit ille nivali
Compede deprensus, properum super ingruit agmen,
Sanguineasque rotat fauces, via nulla salutis,
Nulla fugae ratio; haud aliter glomerata caterva
Impia vesani exequitur mandata ministri:
Circumdantque Petrum, rapiuntque per ardua montis,
Et Mamertini claudunt in carceris antro.
Sed jam progrediens totum praecesserat agmen
Vociferans Scapulas, rectaque incedit ad aulam,
Et procul: Ecquisnam vestrum gratissimus ibit
Nuncius ad Dominum referens perfectaque jussa,
Et conjuratos totam subvertere Romam

Christiadûm proceres captos? evadere nostris
Sperantes manibus fortis custodia servat.
Nec mora: patratum facinus, bene gesta tyrannus
Laetitia exultans audit, dextraque protervam
Exhilarans frontem: Nunc cuncta pericula, dixit,
Ablata: optata potero confidere pace,
Nullaque turbabit somnos mihi cura quietos.
Jam nunc Sol uni exoriensque cadensque Neroni
Parebit: caelestem habeas tibi, Jupiter, aulam.
Tum fera barbaries, caedisque insana cupido
Incaluit, coramque jubens procedere facti
Auctorem: Tantam laudem mercede rependam
Promerita: nunc quandoquidem spectacula Roma
Ista sibi poscit, totam deferte per urbem
Romae eversores, captosque ostendite reges
Ludibrium populo. Perdiscat Roma, Neroni
Quantae stet curae tutam defendere pacem,
Et cives omni immunes praestare periclo.
Mox laniate flagris latronum corpora, et omni
Tortos supplicio bifida suspendite furca,
Et canibus date dilanianda cadavera saevis.
Hic sapiens quisquam saeclo nutritus iniquo
Talia tentamenta Petri deliria caecae
Seu credit mentis, seu cuncta incredulus odit:
Non ille arcano recreatus lumine credat
Communi haec majora fide, Te, Petre, senecta
Confectum invalida, centum expositumque periclis,
Te fore ductorem populi, numeroque carentis
Concilii Patrem. At Christi gens inclyta novit
Magnum prodigium: caelo haec concessa potestas.
Tu rerum majora tenens fastigia terris,

Sceptra vicesque geris Christi; jamque alter ab illo
Christiadûm praeceptor eris. Quicumque videbit
Non modo divino praecurrere munere cunctos,
Sed luce omnigena flammantem ostendere taedam,
Clamabit secum admirans: Quantum instar in ipso est!
Utque humili Christus tectus velamine, foedis
Objectus probris, hominumque novissimus olim
Extitit ignaris populis; tu primus honore,
Jure prior, superans fratres, et cetera Christo [6]
Adsimilis, pateris digna atque indigna relatu,
Et ceu proluvies ageris vilissima, servus
Servorum inferior, fundoque evolveris imo,
Propositi exemplar referens formamque magistri.
At quid Christigenae facient discrimine tanto?
Pontificem captum, funesto in robore ligni
Inclusum, fata audierunt extrema manentem;
Et primum ingenti steterunt formidine pressi.
Partim falsa putant rumore allata sinistro,
Plerique arma parant: ad templum accurrere cuncti
Ilicet, et, pugnae detur si copia, quaerunt.
At Linus et Cletus, dubiae queis praescius horae
Pontificum Senior monita ipse extrema reliquit,
Agmen confertum sanctas irrumpere in aedes
Cernunt et crebris incendere cuncta querelis,
Et jam crescenti satagunt occurrere turbae:
Ne, quaeso, fratres, vestri contemnite Patris
Extremos monitus, neu conturbate serenam
Capti canitiem. Namquid praebere patentes
Ardetis portas hosti? coepta ipse relinquet?
Nonne novas caedes sancta patrabit in aede?
Quisque domum repetat: sancto in certamine summum

Pastorem Christum justis exposcite votis.
Haec jubet ipse Petrus vos: haec monumenta reliquit
Extrema. Hic voces fletus succidit amaras;
Ingentes illi gemitus e pectore ducunt:
Jussa obeunt tamen, et flentes discedere visi.
At nequiit Clemens romano sanguine natus
Ferre moras: diversus abit, tacitusque ruenti
Se miscet populo, si qua potis arte levare
Captivum queat, et tantos compescere motus.
Nunc justus dolor exurgat: nunc horrida luctum
Carmina terrificum inspirent, mensque anxia diro
Agmine curarum tristes erumpat in iras.
Stultitiam extremam, morientis et orgia Romae
Impia, conantemque imo demergere fundo
Lumina, tartaream superantia lumina noctem,
Narrare aggredimur. Quamvis certamine diro
Expers consilii insidiisque adjuta libido
Vicerit, at major circumdat gloria passos
Pontifices. Ipsa supremi funeris hora
Emicuit lucis lampas praeclarior ortae:
Contemptrix lethi erupit vox libera, foedas
Nequitiae nebulas superans, verique bonique
Ingentem celebrans victo super orbe triumphum.
Ergo raptati squalenti e carceris antro,
Ibant captivi illustres, circumque frequentes
Stipabant turbae; pars insultare pudendis
Certant criminibus, risu illuduntque protervo;
Pars malas colaphis caedunt, pedibusque lacessunt
Lente incedentes. Alii ferale flagellum
Excutiunt, tortoque sonant sub verbere terga
Sanguineo: stimulos alii non mollibus urgent

Et lentis adigunt pilis. Stant vulnera toto
Corpore, largifluo procurrunt sanguine rivi.
Non cecidere animis tanto in certamine Christi
Athletae: dum caeca ruit dementia in unos,
Non illi in vanos gemitus se fundere, nullas
Supplicio infando auditi geminare querelas.
Aerea quandoquidem religabant vincula palmas,
Interdum caelo flammantia lumina flectunt:
Romae ignosce. Pater, neque enim gens inscia novit,
Quid gerat; interdum secum interjecta volutant
Carmina, collaudantque Deum, qui ex omnibus unos
Legerit, immeritos tali dignatus honore,
Ut tantum ferrent Christi pro nomine probrum.
Talia virtutis spectant monumenta recentis
Tres juvenes [7] fama egregia, et felicibus armis
Insignes. Spectant scelus exitiale, genasque
Non retinent siccas. Tetigit patientia victrix
Magnanimûm heroum, mediaque in morte stupescunt
Securas irarum animas, Christumque canentes.
Tunc primum comites sic est affatus Acestes:
Ast ego sacrilegum, neque jam tolerabile caelo
Crediderim tantas procedere longius iras.
Quid porro miseri Hebraei meruere? Nec ausi,
Nec valeant, qui extrema trahunt vix taedia vitae,
Et nos canitiem venerandam plectere diris
Audemus poenis? miseri! quo nostra redibit
Saevities! oculis non haec Deus adspicit aequis.
Ast ego (Longinus justa sic concitus ira)
Prodigia innumera admiror: cum stirpe Deorum
Bellamus: video claris adolescere factis
Christiadûm famam, et nobis si cetera desint,

Supra homines magna virtute agnoscimus istos
Ire senes: mihi crede: mihi mors ista videtur
Pulchra: mori invideo senibus. Quos talia fantes
Audiit ambobus praeiens aetate Megistus,
Quem non pulverei insomnis patientia campi
Impediit Pauli sanctas audire loquelas:
Et graviora sonans: At vos miserescitis ultro
Humani generis tot rerum indigna ferentis.
Quid si Christiadûm propius cognoscere gentem
Sorte datum, socii, quos falsa in crimina Romae
Flagitat impietas? Si pulsa nube nitentem
Cernere doctrinam, sacris si adstare parumper
Conciliis liceat, quae quantaque mira videnda
Obversarentur! Qua conditione beati
Quisque sua vivunt, nihil exoptantibus ultra
Pectoribus! Cunctos quae nectunt mutua amoris
Vincula! Saturnum veteres finxere recentis
Aurea per terras spargentem tempora pacis.
Credite: vera isthaec crescit gens aurea, mores
Aureos, et dignum referens caelestibus aevum.
Felioes! ipsoque senes in funere dicam
Felices! spectante Deo, mirantibus astris,
Passi exquisitas poenas, peritura relinquunt
Gaudia terrarum, et sancto diademate cincti
Regnabunt, Superûm excepti fulgente senatu.
Mos erat antiqua praescriptus lege, priusquam
Ad mortem traheret gravior sententia sontes,
Sub furca vinctos[s] ferali caedere virga.
Et quamvis foedam civili corpore poenam
Porcia lex vetuit, veterum mandata quiritum
Non valuere fera Paullum defendere poena.

Humanique odium generis, probrumque putantes
Christiadûm auctores agitant, similique reposcunt
Ambos supplicio. Seu Judae e sanguine, sive
Romulei cives, nullo discrimine habentur.
Continuo glomerata feris succincta flagellis
Ultrix accurrit legio, complentque volentes
Triste ministerium. Indomitae ludibria plebi
Non satis est miseros totam ostentâsse per urbem.
Jamque adeo exutos attritae tegmine vestis
Corripiunt, vinclisque ligant ingentibus. Urbis
Stabat prae foribus viridisque in gramine campi
Ingens marmoreae, pondusque immane columnae.
Ad quam, ferali coetu comitante, Triumvir
Plectere consuêrat capitali crimine nexos,
Devinctos post terga manus. Non ulla laborum
Deseritur facies: furit aegrescitque furendo
Impatiens turba, et captis illudere certant.
Ergo conversis humeris durisque ligati
Funibus ad saxum fratres immane trahuntur,
Stantque gradu firmo innixi. Jam cunta parata
Cernentes, oculos tollunt votoque calenti:
Se tibi commendant, Pater optime, maxime: poenas
Suscipe quas ferimus pro te. Si gloria crescit
Christiadûm major, tua si vestigia certo
Pone gradu sequimur, vires animosque ministra.
Ethnica gens videat, fidei quae robora nostrae.
Spicula conspiciant potius peracuta retundi;
Carnifices operi potius cessare labantes,
Quam nostra in tanto pietas discrimine fracta
Deficiat. Tibi crescat honor, tibi gloria, Christe,
Omnipotens, terraeque salus, hominumque redemptor.

Talibus orabant vincti, seseque vicissim
Alloquio excibant. Qualis, stridente procella,
Culmine tectorum saliens strepit horrida grando,
Haud secus ingenti tractim plangore gementes
Increpuere humeri, discerptaque membra flagellis.
Nunc ictum hic geminat dextra, nunc ille sinistra
Certatim; crebro manant de vulnere rivi.
At non horrendi luctus spectacula ferre
Romula plebs potuit: quam saepe astutia fallax
In furias agit indoctam, perque horrida cuncta
Raptat praecipitem. Quamquam olli foeda voluntas,
Est simplex animus; veteris persaepe tuetur
Semina naturae, et menti cognata sagaci
Simplicitas proprio discernit acumine rectum,
Ipsa sui compos. Studio quae illecta videndi
Effluxit foribus, tortorum immania vidit
Brachia ubi in Sanctos tanto insanire furore;
Vidit ubi confectam annis, macieque senectam
Indecori poena, largeque fluente cruore
Foedatam, infremuit: non vultus, non color unus
Spectanti, mussatque minax strepitatque fragore,
Atque hac commotum per vulgus serpere voces:
At nos urbani graviori tempore luctus
Hos unos Romae deterrima damna levantes
Vidimus, hos unos. Non ipsae impune volabant
Per caelum volucres: foedi inclementia caeli
Omne genus pecudum letho dabat, omne ferarum:
Dumque catervatim congesta cadavera totam
Pollucrent Romam, domibus cessere relictis
Ipsi Romulidûm proceres, hos vidimus unos
Divino circumvectatos numine, egenos

Desertosque intrare lares, benefacta serentes.
Ast alius, cujus major prudentia menti,
Conferto in coetu: Nova quae, inquit, damna metusque
Portendo Romae! Namquid cum gente quieta
Bellum importunum gerimus? nec poenitet acti?
Divinam sobolem non ullo crimine nexam,
Ignotae nisi quod nobis spectacula praebet
Virtutis, vaticanis jugulavimus arvis:
Illustre ad lethum velut ad convivia sponte
Illi currebant, ipsaque in morte nitebant
Laetitia insueta: at nobis pars maxima luctus
Obvenit: totam illa incestant funera Romam.
Hinc mille horribili visu portenta sequuntur,
Hinc ignota lues: ex illo infanda merentes
Supplicia, et scelerum poenas expendimus omnes.
Tum vero ex aliis alii: Crudeliter ipsi
Quin etiam socios inopina morte peremptos
Videre, aut passim per rura propinqua, per urbes
Dispersos mala cuncta fugae, et jejunia ferre.
Vix tamen incubuit saevi violentia morbi,
Ceu si magnanimum robur, viresque dedissent
Vulnera majores, concrevit plurima virtus:
Quin turpes ignominias, plagasque superbas
Dimittens animo, saevum complectitur hostem
Inclyta progenies, totamque vagata per urbem,
Qua graviora premunt miseram contagia plebem,
Jejunis alimenta refert, vestesque ministrat;
Insueto eloquio, morituris ultima praebet
Auxilia, et laetis ea spes morientibus una,
Quod melior caelo rideret vita sereno.
Saepe erat exitium hoc ipsi: tamen acrior illa

Urget opus: opere in medio vis occupat aegra;
Vitam laetantes oblata morte relinquunt.
At non Christiadae tanto potuere periclo
Pontificis jussis perstare diutius umbris.
Concurrunt matresque piae, mitesque puellae.
Ut turbas fremitusque inter plangore flagella
Audierunt stridere truci, ut videre revulsos
Artus et fluido manantia membra cruore;
Cunctis confestim exarsit dolor ossibus ingens:
Lamentis, gemituque sonans it ad aethera clamor.
Parte alia in medios audent se inferre ruentes
Plurima turba, pii: propiusque accedere tendunt,
Captorum vultus aut saltem cernere amatos,
Aut, via si qua foret, tantos inhibere furores.
Ecce autem populi confertam vicerat undam
Ignotus cunctis Clemens, jamjamque nefasto
Spectaclo propior, magno ipsos terrilat ore
Carnifices, clamans: Dira commota malorum
Diluvie, et nimiis haec urbs attrita flagellis
Horret adhuc, laceroque ostentat corpore plagas:
Nec saevisse diu satis est? majora paratis
Supplicia? Ast iterum Omnipotens tua crimina, Roma,
Te statuet contra, atque iterum manifesta reposcet [9]
Judicia. Horrifico caelum omne fragore tonabit,
Justitiam et laesi testatum Judicis iram.
Excidit ex animo vobis Deus? ethnica turba,
Anne Deum assimilemque tibi, scelerique faventem
Finxisti demens? nec vitae poenitet actae?
Nec sapere incipitis? Commotus talia Clemens
Fundebat. Generis splendor, venerandaque vultus
Majestas, veraeque minax sententia linguae

Perculerant animos: magnum cum irrupit in agmen
Romulida ardescens: procero corpore, flammeis
Luminibus, vultuque minax, strictumque coruscans
Mucronem, qua prima datur via, disjicit arma
Obvia proturbans: sequitur quem turba quaterna
Natorum, utque stetit juxta: Quid plura moramur?
Non haec crediderim celsi mandata Neronis;
Jam satis est virgis. Sic vincula linea rupit
Sponte sua, strictoque ferit retinacula ferro.
Huic Remuli cognomen erat: si vescitur aura
Vivus adhuc supera, Petro debere fatetur.
Senserat ille quidem morbo illuvieque peresa
Viscera: contactos dum vita relinqueret artus,
Dante Deo, Senior miseras intrârat in aedes
Nocturnus; reperitque patrem, reperitque quaterna
Corpora gnatorum extremam subeuntia sortem.
Ardentes oculi, semustaque labra, gravesque
Singultus aegri, totque horrida vulnera patris
Perculerunt Petrum: medicas super utraque palmas
Tempora protendit, caeloque ardentia flectens
Lumina: Surge, inquit: Christus tua funera differt,
Totque tibi reddit natos. Sacrare memento
Teque tuosque Deo. Vix prima pericula Petri
Servati audierunt, latebris domus omnis ab imis
Prosiluit: gladio armati Natique Paterque
Per totam cursant urbem, tantumque residunt,
Cum Petrum abruptis potuere exolvere vinclis.
Ingens spectanti gliscit fiducia plebi:
Horrendo clamore fremit, captosque reposcit.
Carnifices fugere metu, armatusque maniplus
Talia perpessos proceres, vinclisque solutos

Ceu si lethalis contactos labe veneni,
Extra tergeminam portam, ut vilissima rerum
Mancipia ejecit, coeno moritura fameque.
  Quae mens, quïve animus vobis, lectissima virtus
Heroum, toto missi dominarier orbe,
Quos demens rabies ingratae e moenibus urbis
Ejicit, ac veluti majora opprobria damnat?
An caelo mutata prior sententia cessit?
Nil simile inventrix excudit Achaia doctis
Porticibus, patiensque tulit sapientia Romae;
Stoicus humanae vestigia tangere summae
Credit virtutis, si quae damna impia jussis
Caeca adamenteis fatum implacabile sanxit,
Imperturbatis oculis despexerit, ausus
Ipse suis manibus saevam consciscere mortem,
Et risu mediis animam expirare periclis.
Parte alia ridens Epicuri secta, rosarum
Fronde revincta comas nitidas, spumantia Bacchi
Pocula luxurians siccat, mortemque beato
Quin etiam in luxu quaerit, dum numina laetum
Ver agitant secura, nihil mortalia curant.
Effugisse mala ambobus fuit una voluptas;
Cura fluens uno de fonte redibat eodem,
Ipsa sibi credens uni, immortalia spernens.
Unica Christiadûm ratio mortalia lucro
Apposuisse mala agnovit. Simul ipse Redemptor
Omnia mortalis subiit incommoda sortis,
Humano pretium immensum dedit esse dolori,
Forti ferre jubens animo, velut ordine cuncta
Supremo, et magni nutu permissa parentis.
Quid si Justitiae sanctam defendere caussam

Conveniat? subeunt cari tum jussa parentis:
Vos in Concilium abducent, coetuque coacto,
Nudata horrificis laniabunt terga flagellis
Ante duces, regesque feros, me propter, iniquus
Corripiet furor, atque meo pro nomine saevis
Urgebunt odiis ”. Quis talia dicta recordans
Aut implacatos tortorum expalleat aestus,
Aut metuat probra, et miserae convicia plebis?

Diris magna malis crescit fiducia: quamvis
Impia vis Proceres media procul ejicit urbe,
Nec spes affulget saevum mollire Neronem;
Proposito obdurant: neque caelo mite levamen
Defuerit; sanctaeque manus, sociique fideles,
Quod minime rentur, solamina blanda ministrant:
Namque per obscuras stabulans plebecula cellas,
Squalida pauperie, atque inhonesti sordibus otî
Obscuram in tenebris vitam luctuque trahebat.
Eluvie quisnam semotae crederet urbis
Affore Christiadas? Sanctos circumdedit agmen
Sollicitum, studiisque flagrant succurrere cunctis.
Pars calidis siccant manantia vulnera lymphis,
Fasciolisque ligant; pars candida lintea vestes
Expediunt, pannisque humeros melioribus ornant.
Imprimis defessa vocant in corpora vires
Languentes, dapibusque aegros solantur inemptis.
Ardescens desiderium gentemque benignam
Adspectant proceres, omnisque repente repulsa
Tristitiae nubes. Miratur Petrus, et altum
Suspiciens caelum, tibi toto pectore grates,
Summe Parens, reddit: mox Paullum affatus amicum,
Cerne, inquit, Frater, quo rerum arcana feruntur

Ordine! Quis magnae despectis moenibus urbis
Speraret sparsos per foeda mapalia fratres
Degere? Nos insperatum suscepimus aegri
Auxilium, patresque velut studiosa corona
Natorum omnigenis certant defendere curis.
O dilecta Deo pubes! vos quaerit ab alto
In primis Christus, dedignaturque potentum
Invisas aulas, corruptaque limina: namque
Ferre mala assueti miseris succurrere nòstis.
At vos (adveniet tempus), cum reddita merces:
Exceptos caelo regnare tuebitur ardens
Invidia dives, stygias damnatus ad umbras.
Jamque adeo immani servatos turbine Sanctos
Visere Christiadae ex omni regione ruebant:
Interea Scapulas dira discesserat aula,
Praecipiens animo patratae praemia caedis.
Quos vero rabida concepit mente furores,
Ut plebem diversa audit per compita Romae
Elapsam, neque jam manicis, vinclisque teneri
Deprensos, certam sed seditione coorta
Evasisse necem, atque fuga petiisse salutem?
Jamque videt tristi redeuntes agmine lentis
Ipsos custodes pilis: quos increpat ultro:
State, viri: quae causa viae? quid linquere adegit
Captos? At facti seriem Licinius olli
Ordine narravit, plebis furiosa minacis
Murmura, jamque faces jactandas saxaque; captos
Nî sinerent: Quidnam verbis vulgare dolorem
Majorem cogis? vel nostra per agmina repunt
Christiadae, tresque e nostris melioribus audent
Crimine damnatos falso defendere, et ardent

Duritiem incusare tuam. Civilia in arma
Excirem plebem? sparsas nullo ordine turmas
Desererem? demum melior sententia visa est
Extra tergeminam moribunda relinquere portam
Corpora: jamque adsum: tua jussa capessere fas est.
Haec ille ediderat, Scapulas tum voce superba:
Cui tantum licuit sanctas contemnere leges
Militiae? cuinam licuit? Quae causa morarum?
Quonam se Hebraei insidias versare periti
Proripuere? agite, informis seu fornice saxi,
Sive per umbrosos nemorum latuere recessus,
Ite citi: mandat Nero: vos effundite portis
Omnibus: effugium crudeli morte piandum.
Qualis venantum pernox exercitus umbras
Obscuri saltus studiosa indagine cingit,
Emisitque canes; latratu cuncta maligno
Implentes, tectasque feras per lustra sequentes
Illi abeunt, noto et nares tanguntur odore;
Haud secus ingenti per romula tecta tumultu
Praecipites abeunt divortia nota petentes.
Sed non errando vastae per compita Romae
Circumagi multis opus est: neque devia longe
Effugia exposcunt trepidi par nobile fratres.
Ambos securae illectos dulcedine pacis
Repperiunt humili comitatos agmine, sancta
Tractare eloquia, et mentes ad sidera ferre.
Jamque intra jactum tali progressus, iniqua
Ignescens rabie Scapulas, septusque furenti
Agmine praecingit medios, atque increpat ultro:
Comprimite hinc gressum. Manibusne evadere nostris
Sperâstis, miseri? Superest spes nulla salutis,

Summa dies vobis: rebus quo caussa novandis
Nulla stet, Hebraeae Caesar mala semina stirpis
Deleri jussit, poenasque e sanguine poscit.
Olli sedato respondens pectore Petrus:
Quo fugiamus, ait, quae nobis caussa? sub ipsum
Inclinat funus senii illaetabile pondus,
Et nos terrenam mutare libentius oram
Praeferimus jampridem. Excelsi janua caeli
Pandetur, passosque Dei pro nomine sancto
Excipient meriti magnae mercedis honores.
Asper acerba tuens Scapulas sic intonat ore:
Nec quae circumstant vicina pericula cernis,
Demens? At, senior, clamosae jurgia linguae
Compesces: socii, fortes densate catervas.
Tarpejum captos iterum ducamus ad antrum.
At Romam tantae labefactam mole ruinae
Extulit adventus Tiridatis ". Maximus armis
Corbulo commotam Armeniam componere quaerens
Foedere convenit, solium quo insigne maneret
Arsacidis prisco prognatis sanguine regum,
Inque vicem Arsacides, regale insigne, coronam
Caesaris ante pedes Romae deponeret, atque
Romano acciperet firmatum nomine regnum.
Egregium juvenem promissi poenitet, atque
Protrahit in longum Romam contendere: Regni
Obstabant proceres servilia cuncta perosi.
Corbulo multa minans, romanis proximus armis
Hortatur regem legi parere latinae.
Paret Persa magis rerum formidine captus,
Et quoniam magicis sacris quaesita vetabat
Caeca superstitio lymphas violare marinas,

Ire parat pedes: at longa intervalla locorum
Terrarum magnos cogunt percurrere tractus.
Turba ducum simul, atque ingens comitatus aguntur
Regifico luxu. Freta tandem innare coactus,
Euboicas, via qua brevior, contendit ad oras.
At Nero, sacrilegis avertere cladibus urbem,
Inque suum obsequium plebem firmare, triumphi
Oblata specie, laetata mente revolvit.
Jamque coronatae portum tetigere carinae,
Totaque Parthenope commota e sedibus imis
Constitit impatiens florenti in littore: ripa
In media Nero, romano comitante senatu,
Excipit Arsaciden. Coetu procedit ovanti
Barbarus, atque genu posito stetit ante Neronem,
Fronte, manu justi specimen testatus honoris.
Ast lateri succinctum ensem de more tuetur;
Linquere sponte sua ferrum serviliter, infit,
Indignum Arsacidis: placuitque audacia Regis.
Protinus inde dicarchaeam vertuntur ad urbem,
Quo festae pompae, et genialia cuncta parata,
Romani indicium imperii, fastusque superbi.
Hospitibus magno praebet spectacula sumptu
Patrobias [12] opulentus agris libertus et auro.
Miratur molem Arsacides, miratur ovantis
Laetitiam populi, signisque auroque rigenti
Illusas vestes, variisque nitentia in armis
Agmina: tum secum: Romani copia tanta
Municipî: quid Roma? Nero, qua praesidet unus
Totius imperii dominus, dîs proximus ipsis?
Certavere diem totum matresque virique
Aethiopum: Arsacides domino indulgere Neroni

Et populo quaerens, magnum certamen honestat:
Telum sede sua perstans immane coruscat,
Atque duos tauros uno transverberat ictu.
Amphitheatralis plausu sonat area, plausum
Gauranae cautes lucrinaque stagna remittunt.
Inde triumphalis Romam procedere pompa
Incoepit: certant majori effulgere fastu
Romulidae Persaeque: ferum cervice superba
Arsacides moderatur equum, quem lecta dedere
Armenta Armeniae, aut nemorosa cacumina Tauri.
Purpuream induitur chlamydem, triplicisque tiarae
Tegmina; purpureo vincit genua alta cothurno.
Fertur equo conjux, cui vultus aurea celat
Cassis, et illustri fulgescit candida peplo.
Circumeunt in equis proceres, puerique propinqui:
Extremum tercenti equites umbone corusco
Peltarum claudunt agmen, pompamque coronant.
It Nero per medium, atque redit, studioque videndi
Conspicit excitum vulgus concurrere, et unum
Se signare oculis, uni sibi plaudere cunctos.
At levia haec fuerunt magnae spectacula pompae.
Illa dies veterum nullis aequanda triumphis,
Cum Rex Armeniae concessi poscere regni
Insigne advenit, populoque ostenditur omni.
Festivis passim florum redimita coronis
Urbs erat, et positis per compita vasta trophoeis
Romula fortunae memorabat signa secundae.
Turmatim agricolae pagis venere propinquis,
Densasque obsedere vias: lucescere cernis
Vestibus albatis cives, laurique corona
Insignes cursare forum, milesque tenebat

Cetera, compositisque interlucebat in armis.
At Nero cui nullam pompae dat cura quietem,
Vix ubi purpureum coepit lucescere primum
Mane, triumphales habitus, ostrumque superbum
Induitur: ceu si longo pessumdata bello
Gallia, vel tandem victrici Hispania pugnax
Cessisset Romae, festiva prodiit aula
Ocyor, et populo ostendi praegestit ovanti.
Quadrijugo invectus curru per compita lata
Incedit: totus dextra laevaque senatus,
Circumiit; sequitur praetorî exercitus ingens,
Descenditque forum, quo magna mole tribunal
Conspicuum extabat. Postquam sella ipse curuli
Publica signa inter, vexillaque flammea sedit,
Ore Jovem simulans, maiestatemque Tonantis,
Persarum Rex cum pueris, et lecta juventus
Armeniae, incedunt ad pulpita celsa: Neronemque
Ut genibus flexi magno venerantur honore,
Ingens insonuit clamor, subitoque timore
Armenii trepidant: tum facta silentia linguis,
Et prior Arsacides: Praeclaro ab sanguine natus
Arsacidûm, Nero, me tibi tempus in omne futurum
Ut famulum fateor: te numinis instar habebo,
Haud secus ac Mythram. Regni mea jura tuebor,
Quae dederis; equidem video sic volvere fata,
Fortunamque meam duco. Quae verba precantis
Verbis reddebat praetor. Quo mitior ille
Supplicis os habitumque gerens placabile carmen
Protulit, inclamans Nero sic truculentior infit:
Quod nec majorum series, neque cognita fratrum
Virtus servarunt Regnum, Nero donat; habeto:

Te regem Armeniae facio: tu intellige, vosque
Omnes, regna unum dare, et unum auferre Neronem.
Hic juvenem acclinem dextrâ levat, oscula libans.
Persica tum solvens redimicula, fronte tiaram
Exuit, et capiti gemmis diadema coruscis
Imposuit, sceptrumque dedit, gestamina regis.
Hic finis rerum: sed Persis capta ferocem
Cepit victorem, et Romam, quo cuncta pudenda
Concurrunt, nova doctrinae contagia laedunt.
Arsacides Rex idem hominum Mithraeque sacerdos,
Eoos juxta mores, abscondita multa
Noverat, et mira pellexerat arte tuentes,
Mystica doctrinae jactans documenta repertae [13].
Turba fidem dictis addebat densa magorum,
Assectata suum extremo quae littore Regem
Haerebat lateri, magnisque patrabat in aulis
Quoque die, inspectante ipso, mysteria Mithrae.
Regale ingenium peregrinaque sacra Quirites
Mirantur: tangunt mage saevum arcana Neronem.
Pravis principibus quo instat formido futuri
Acrior, absconsas magis ardent noscere leges.
Persica jamdudum intràrat sapientia Romam,
Atque ubi tanta patet doctrinae copia (Mithrae
Primus adest Mystes, primusque interpres in aula),
Ignota haec penetrare Nero mysteria, moresque
Excupit abstrusos. Regis stupet unius ore,
Intima adoratis aperit penetralia sacris,
Et Rex Armeniae romana orditur in aula
Magna magisteria: arcanis ingentibus haeret
Arbiter imperii, Chaldaeûm insomnia vana
Ediscens, magicasque dapes, artesque veneni.

Nec minor accensos egit dementia Rhamnes.
Fortunam jam Roma suam capere ipsa nequibat
Irrequieta diu, seseque ad mira ferebat
Omnia, venturam sperans agnoscere sortem.
Ergo palatinas eadem superastitit arces
Foeda superstitio, penetratque superba potentum
Limina. Concesso hierophantae pubblica cultu
Orgia concelebrant, suspensaque numine multo
Roma stupet, foedaeque haurit contagia pestis.
Parte alia Petrus tarpejo clausus in antro
Desertis dium semen spargebat in arvis,
Et quamvis cupido parebant arva colono.
Christigenis jussas non observare latebras
Sanctus liquit amor, contraria nulla morantur
Ipsos primores: certant succurrere Patri,
Et vix irarum primus deferbuit ardor,
Ilicet aeratos circumdant agmine postes
Gens studiosa, ferens epulas, et dulcibus addens
Alloquiis animos. Tanto in discrimine turbas
Affluere ingentes, nullosque horrescere casus
Prospiciens Senior, curarum nube repulsa,
Miratur sobolem egregiam, laudatque paratam
Pro Christo quaecumque pati, et contemnere mortem.
Laetior exurgit generoso in pectore virtus
Pontificis. Clausus dia nutrire loquela
Prosequitur lectas pecudes, quae nota requirunt
Pascua, quae sancti vocem Pastoris adorant.
Nec minus Omnipotens praesenti numine firmat
Ipsius ingentes nisus, caelestibus ornans
Prodigiis loca senta situ, atque carentia sole.
Captorum ille orsus meliores fingere mores:

Vobis divinae satis omnia jura tuenda
Justitiae, humanis quae mutua vincula nectit
Coetibus, atque bonis fautrix communibus astat.
At non civilis tantum formidine poenae
Emendate scelus: lex altera certior imis
Justitiam clamat vestris inscripta medullis.
Alter adest Judex, cui cuncta occulta patescunt
Pectoris. Obscuris furtim commissa tenebris
Crimina fors homines fugient: speraverit an quis
Posse latere Deum? Delicta humana notantem,
Multantemque reos, tormentaque justa minantem,
Namquis securo audebit jam cernere vultu?
Dum compos mens ipsa sui, locus, hora juvabunt,
Eja agite, exactae capiant mala taedia vitae,
Purgatosque animos patrio convertite caelo.
Quamplures vincti, obscuro qui carcere raptam
Plorabant lucem, scelerataque facta piabant,
Talia suscipiunt: animos Deus aethere ab alto
Actutum tetigit, genibus se obvolvere cuncti
Pontificis, veniam orantes, commissaque flentes
Crimina: quos Senior vultu complexus amico,
Sperantes, vitaeque actae commissa perosos
Sacrato lustrare parat baptismatis amne.
Ast alii orantem praedura fronte repellunt,
Irridentque senem. Socios doctrina parârat
Lustrali sacro, sed deerat lympha salubris:
Nec vaga mordaces reprimunt convicia linguae.
Pontificis magni ecce autem mirabile factum
Insolita novitate domum permiscuit omnem.
Ille immortali correptus numine caelum
Suspiciens orat caeli terraeque Satorem:

Omnipotens Genitor, turbam insultare malignam
Perpetiere mihi? quoniam Natura jubenti
Obsequiosa tibi paret, deserta peragrans
Progenies Judae vivis erumpere saxis
Laetificum vidit rorem, qui exstinxit opimo
Fonte sitim: magnae renova miracula dextrae.
Vena perennis aquae scabri rubigine saxi
Exiliat, sacraque pios da fundere lympha.
Carceris in medio quadratis area saxis
Forte fuit, caesis quae Tiburis eruta venis
Nexa solo inter se sternunt loca cuncta tenaci.
Jamque, jubente Petro, disrupta foramina cautes
Praebuit; et scatebra exiliens pellucidus unda
Liquitur illimi rivus: stupet inscia turba,
Numen inesse viro insuetum, vel numine natum
Confessa extemplo, miracula tanta patrantem.
Attoniti genua inflectunt, manibusque supinis
Exposcunt veniam, risu excepisse loquentem,
Et divûm jurant mendosa relinquere signa.
Nuncius at duplex primo devectus eoo
Captivum gemino confodit vulnere Patrem.
Timotheum [14] primum, immiti mox morte peremptum
Audit Matthaeum. Longo sibi cognitus usu
Timotheus Pauli fuerat comes: ille relinquens
Pascua nota Ephesi, atque gregem, virtute subacta
Doctrinaque sacra pollentem praeficit aris.
Pravos doctores per inania, perque dolosam
Traductos rerum ambagem obmutescere jussit.
At non obscoenos Ephesinia sacra ministros
Nocturnis celebrare choris tulit amplius: ille
Altitonans magno mendacia fulminat ore.

Praesulis invicti monitis plebs territa sensim
Montivagae fanum fugit execrata dianae:
Turba sacerdotum saevo inflammata furore
Pastorem invisum sanctas obtruncat ad aras.
Matthaeus fuscos ierat legatus ad Afros.
Aethiopas partim signis mutârat apertis,
Eloquio partim insigni, factisque decoris,
Quae Christi verax heroi afflaverat ignis.
Ast ubi rex senior superis concessit ab oris,
Christiadûm fautor, solio sceptroque potitus
Hirtacus [15], ingenuam regali e gente puellam,
Quae se sponte sua sacris devoverat aris,
Quaesiit incassum stabilem sibi jungere sponsam.
Virginei decoris, defensorique sacratae
Virginis indixit mortem. Tamen omnia temnens
Prodierat sanctas de more Antistes ad aras.
At dum prima Deo donaria rite ferebat,
Stipator missus stricto caput abstulit ense.
Vertice desecto, coeptas immurmurat ardens
Lingua preces: anima effugiens mortalibus oris
Laeta preces ipsas supera repetebat in aula.
Tristitiam tamen insuetam insperata rependunt
Gaudia. Semoto veniens orator ab Indo
Aurorae populos in Christi regna receptos
Pluribus enarrat. Fusco Petrus ore loquentem
Audiit exultans: Thomae sunt debita cuncta,
O Pater; ecquisnam linguae certare disertae,
Ecquisnam validae poterit se opponere dextrae?
Ni gravior te cura tenet, de pluribus audi
Haec duo, quae gentem potuere domare rebellem.
Arboris immensae molem prope littoris oram

Jactârat mare turbatum refluentibus undis.
Illum rex Sagamus duci intra moenia jussit,
At frustra: centena virûm non brachia, nulli
Subjecti lapsus potuere, et vincula nulla
Sede movere sua. Signum mirabile cuncti
Mirantur: Sagamus mentem per plurima versat.
Constitit in medio confisus Apostolus, atque:
Si mihi, Rex, inquit, pro templo araque struenda
Obtuleris, verumque Deum sic noscere quibis,
Auxilio nullo vestram conscendet ad urbem
Immanis stipes. Rex annuit ultro: recepit,
Datque fidem illudens. Tunc Christi nuncius apta
Exertum zona ramum superalligat, atque,
Signata crucis effigie, jam sponte sequentem
Roboris immanem truncum deduxit ad urbem.
Excita prodigio plausit gens omnis, et ipse
Rex. Multis Thomas saxis de more locatis
In crucis effigiem: Positum si quando trophoeum
Adveniet tempus, praeterlabetur abacti
Unda maris refluens, longinquo ex orbe redibit
Candida progenies, morem instaurare sacrorum,
Quae nunc constituo, quaeque India deses omittet.
Ast aliud majus signum, multoque tremendum
Objicitur magis. Ut mentes laetata retersit
Relligio, et Thomae enituit clarissima fama,
Brachmanis (nôris nostros hoc nomine Mystas)
Prisca superstitio et reverentia prisca recessit.
Hic quidam laeso veteris pro numine cultus,
Per quaecumque audens se Divo opponere (mentem
Credo equidem obscoenam rabies cocytia adegit),
Obtruncat natum: foedae tum crimina caedis

Imposuit Thomae, poenasque a Rege poposcit.
Discipulos omnes vicina pericula terrent,
At non magnanimum Heroa. Ut data copia fandi:
Verborum nihil ambages, nec jurgia prosunt,
O Rex: si placeat, populo inspectante, rogatus
Ipse puer poterit sceleratum ostendere crimen.
Assensere omnes. Exanguia membra puelli
In medio statuere foro: circumstetit omnis
Effusus populus rerum novitate stupescens.
At Thomas: Dic, eja puer; te in nomine Christi
Percontor: dic, eja, necem quisnam intulit? Artus
Jampridem exanimes, voce inclamante, moveri
Incipiunt; venis redivivus sanguis inundat;
Surgit, et: Iste Dei verax est nuncius, inquit:
Non me Christiadae, Christi pia fata perosus
Me pater occidit. Tum presso obmutuit ore
Delator; Sagamus fidei documenta recepit,
At populus medium Thomam complectitur: omnes
Voce vocant Jesum: Jesum longe ardua reddunt
Culmina: ripae omnes resonant et littora Jesum.
At me legatum Romam gens tota remisit,
Quo tibi Christiadae cunctos testemur honores.
Maximus ipse gregum Pater es: quid visere cessas
Sepositas pecudes alio sub sidere? fidam
Experiere tibi gentem, Christique lubenter
Parentem monitis, tuaque inclyta jussa manentem.
Subrisit Petrus ingenuo sermone: Nec ipse,
Hesperio quamvis submotus in orbe morarer,
Non aequo eoas gentes complectar amore.
Quem dedit, o Nati, seros fortunet in annos
Pastorem Omnipotens. Cunctas invisere terras

Captivus, senior nequeam, mortemque propinquam
Auguror, et patri extremo vos funere adestis:
At me si supera Jesus dignabitur aula,
Praesentem Jesum felicia cuncta rogabo
Pro vobis: Indis isthaec perferte remotis.
Quis jam crediderit? Pernox custodia saevos
Servabant postes, ductor Processus [16], et aevo
Martinus minor. Intenti per singula dudum
Volvebant oculos, nova rerum monstra, viriqui
Virtutem aethercam mirati, atque inclyta facta.
Illexitque animos caelestis gratia, mites
In Petrum adjiciens sensus, mentemque benignam.
Accessere ambo: Quando, Pater Optime, donat
Talia moliri Deus ipse (novissima rerum
Vidimus, humanos late superantia nisus)
Et nos Christiadûm numero bonus adjice: duram
Militiam anne jubes actutum aerataque tela
Deserere? At Petrus laeto sic farier ore:
Omnipotens Genitor passis amplectitur ulnis
Omnes, sit quicumque color, quae munera cumque
Officii. Ferrum induti galeamque comantem,
Jurâstis patriam, et validos defendere fines.
Jura tenent jurata: viros quocumque vocârit
Buccina Romanos, tremefactus sentiat hostis,
Nusquam degenerâsse gravi virtute parentum.
Legitimum imperium, solido fundamine fultum,
Provehet in majus caelo Deus ipse sereno.
Atque ego Christiadas fortes densare maniplos
Quamprimum cernam, et sacrata lacessere bella:
Illos terribili Princeps mirabitur ense
Vitam, non clypeum rubefactis linquere campis.

Eja agite, o fratres, vestris parete volentes
Principibus dociles: mandata facessite vestri
Quisque ducis: modo causa adsit justissima belli,
Ante aquilas ibit laetis victoria pennis.
Haec et multa Petrus referebat in ordine, narrans
Militis officium, bellatorisque ferentis
Aestus, atque hyemes, duri et discrimina martis
Pro patria, Christique fide, dominique jubentis.
Explicat in primis magnae praeconia Matris,
Et nunc divini caelestia gaudia partus,
Nunc quali jacuit misere transfixa sagitta,
Quaeque triumphantem comitatur gloria Natum.
Nec pia squalentes veniens aurora tenebras
Recreat, extremo neque palluit Hesperus astro,
Quin caeli dominam servatricemque salutent.
Inde catenatis crebro resonare cavernis
Divinas audis laudes, penitusque repostis
Sedibus adsurgit taedis flammantibus ara,
Ara superposito Christus qua robore vinctos
Solatur miseros patriae melioris amore.
Tum vero carcer sanctam est mutatus in aedem,
Qua reparata salus animis, et languida morbis
Corpora lethiferis speratam habuere medelam.
Sunt qui devinctae diuturna silentia linguae
Rumpunt: capti oculis exultant luce reperta.
Quin etiam raptas reddit sua funera praedas
Invida mors; circum populi vox personat ingens
Omnia spectantis, rerum et novitate paventis.
Et jam solivago consurgens lumine Luna
Lustrabat foedi squalentes carceris umbras,
Ecce Sacerdotes Capitolî sede propinqua

Addicti Mithram colere, extructasque per aras
Tercentum assueti pingues imponere tauros,
Ad Mamertinum signis caelestibus acti
Ipsi etiam visi incerta succedere cura.
In Petrum effusus favor, et communia vota
Non latuere: vident festivo culmina coetu
Compleri: lucere vident funalia crebra,
Per noctem: interea per muta silentia totum
Mellifluis circum resonat concentibus antrum.
Quam multi (et digito notos ostendere possunt)
Quam multi jam jam Capitolî fana, Jovemque
Liquere: augustis templum sublime columnis,
Romani sacrum imperii, quod victor ovansque
Romulus argento totum, et fulvo induit auro,
Christigenae effugiunt mala ceu contagia morbi:
Et noctu, atque diu metuendi carceris haerent
Vestibulo. In curas animus diducitur anceps:
At Phrazar, primus Persarum e gente sacerdos,
Quem tulerat secum Arsacides, jussitque, recentis
Hospitii munus, gentilia sacra docere,
Atque novo ritu extructis famularier aris,
Vestibulo ipse etiam accessit, coetuque frequenti
Vidit Pontificem officium solemne replentem.
Vidit, et obstupuit: vestigia nulla supersunt
Flagrorum; sancti majestas plurima vultus
Percellit mystam, et comites hortatus inertes:
Quam metuo, dixit, de Roma et Perside! quamvis
Regiaia bellaci Pallas splendescit amictu,
Tarpejumque jugum tenet et Capitolia celsa
Jupiter, his video latebris concrescere priscae
Exitium Romae. Squalenti carcere clausi,

Virgis contusi nostri deliria cultus
Rident, et poenis mediis fiducia crescit,
Nullaque supplicii ingentis vestigia servant.
Anne Deus major toti dominabitur orbi?
Tunc stetit in medio Clemens, et talia fatus:
Nempe Deux verax toti dominabitur orbi,
Qui vocis quondam sonitu omnipotente creavit
Lucem interfusam, primaque emergere luce
Hunc jussit solem, has stellas, haec cetera caeli
Lumina. Vos colitis caeli radiantis amictus [17],
Auctoremque ipsum merito fraudatis honore?
At lux vera, Deus, cujus vel imago videtur
Sensilis hic lucis splendor, nunc ipse refusam
Mentibus humanis venit depellere noctem.
Quid vos ignari jam exorto lumina soli
Clauditis? Ingenti stupuit sermone Sacerdos,
Et capitolinae tacitus se reddidit aedi.

llatum.
Deatari
na quat
diversis
ne com
R
le, taco
;ralos t
nerit;
natura
batur.
benefic
adhorta
nere or
princip
uxiar
tempe
lepit, p
tu
tera e
Deo s
Dem
peca
Sat.
in
e eti
edita
tos e

NOTÆ.

[1] *Ananus* — Haec provinciarum divisio facta est post cladem Romanis illatam, quam Joseph lib. II, cap. 25. narrat. Tunc Ananus Pontifex, pater Eleazari, seditiosorum ducis eligitur, ut una cum Josepho Gorionis filio omnia quae in civitate essent, administraret. Ceteros quos nominavi duces, in diversis provinciis disposuerunt, ut eas adversus Romanos defenderent, et vires compararent.

[2] *Reate*—Suet. Flav. Vesp. II. Vespasianus natus est in Sabinis ultra Reate, vico modico, cui nomen est Phalacrine — *Parabat.* Per quos munerum gradus transierit Vespasianus, habe a Suet. ib. Tribunus militum in Thracia meruit; quaestor Cretam et Cyrenas provinciam sorte cepit; aedilitatis et mox praeturae candidatus, illam non sine repulsa sextoque loco vix adeptus est... Praetor, infensum Senatui Cajum ne quo non genere demereretur, ludos extraordinarios pro victoria ejus Germanica depoposcit, poenaeque conjuratorum addendum censuit, ut insepulti projicerentur. Egit et gratias ei apud amplissimum ordinem, quod se honore coenae dignatus esset. Et c. IV, Claudio, inquit, principe, Narcissi gratia legatus legionis in Germaniam missus est: inde in Britanniam translatus tricies cum hoste conflixit. Duas validissimas gentes, superque viginti oppida, et insulam Vectem Britanniae proximam in ditionem redegit, partim Auli Plautii legati consularis, partim Claudii ipsius ductu. Quare triumphalia ornamenta, et in brevi spatio duplex sacerdotium accepit, praeterea consulatum quem gessit per duos novissimos anni menses: medium tempus ad proconsulatum usque in otio secessuque egit, Agrippinam timens potentem adhuc apud filium, et defuncti quoque Narcissi amicos perosam. Dein sortitus Africam integerrime nec sine magna dignatione administravit — *Flavius.* Sic Suet. I, Titus Flavius Petro, municeps Reatinus, bello civili Pompeianarum partium centurio an evocatus, profugit ex Pharsalica acie, domumque se contulit, ubi deinde, venia et missione impetrata, coactiones argentarias factitavit—*Vespasiae.* Vespasiani nomen materna hausit origine. Suet. I. Locus etiam nunc ad sextum milliarium a Nursia Spoletium euntibus in monte summo appellatur Vespasiae: ubi Vespasiorum complura monumenta extant, magnum indicium splendoris familiae et vetustatis.

[3] *Tum duo servili*—Tac. XII, 9. Tunc Senatusconsulto Cassio et Silano exilia decernuntur. Deportatusque in insulam Sardiniam Cassius, et Senatus jus expectabatur. Silanus tanquam Naxum deveheretur Ostiam amotus, post municipio Apuliae cui nomen Barium, clauditur. Illic indignissimum casum sapienter tolerans, a centurione ad caedem misso corripitur. Suadentique venas abrumpere, animum quidem morti destinatum ait, sed non permittere percussori gloriam ministerii. At Centurio quamvis inermem, praevalidum tamen et irae quam timori propiorem cernens, premi a militibus jubet. Nec omisit Silanus obniti, et intendere ictus, quantum manibus nudis valebat,

donec a centurione vulneribus adversis tanquam in pugna caderet—*Respersa cruore.* Hanc in melius locorum mutationem Prud. peristeph. hym. 2. de S. Laur. prosequitur :

Discede, adulter Jupiter,
Stupro sororis oblite.
Relinque Romam liberam,
Plebemque jam Christi fuge.
Te Paulus hinc exterminat,
Te sanguis exturbat Petri;
Tibi id quod ipse amaveras,
Factum Neronis officit.

[4] *Trepidare volatu* — Qui ceteris habetur antiquior, Clemens Romanus (Const. lib. VI, cap. 9) sic habet : Romam Simon cum venisset, Ecclesiam vehementer perturbavit, multos avertens, atque in suam adducens sententiam : gentes vero commovebat magicis artibus. Itaque quodam die in theatrum in meridie processit, jussitque suis operis, ut me in theatrum arriperent, pollicitus, se in aere volaturum. Cumque omnes hac de re erecti essent, ego seorsus orabam. Itaque sublatus a daemonibus, volabat sublimis, dicens in caelum se ascendere, unde illis bona suppeditaturus esset. Populo illi, veluti Deo, acclamante optima, attollens ego manus in caelum tota mente supplicabam Deo, ut per Jesum Christum Dominum frangeret scelestum illum, et daemonum vim labefactaret, in fraudem et perniciem hominum illo utentium, illumque perfractum non occideret, sed comminueret. Tuncque Simonem intuitus : Si Dei, inquam, homo ego sum, Apostolus vero Jesu Christi verus doctorque pietatis, non erroris, cujusmodi tu, Simon; impera improbis virtutibus apostatis pietatis, quibus vehitur Simon magus, ut remittant suas vires, et ab alto hic decidat, in risum eorum, qui ab illo decepti sunt. Cumque haec dicerem, desertus a virtutibus Simon, cum magno fragore corruit, . . . Clamorque plebis ortus est, quo tenebatur unum Deum esse, quem juste Petrus nuntiaret, tantum veritate fretus : multique ab eo defecerunt — *Christiadûm proceres captos.* Quod occasione lapsus Simonis Petrus in carcerem fuerit conjectus, communis est Patrum opinio. Praecipue Maximus Taurinensis in serm. 5 in Natal. Apost. copiosissime haec disserit : Sed videamus causam, quare ista perpessi sunt : scilicet, quod inter cetera mirabilia etiam magum illum Simonem orationibus suis de aeris vacuo praecipiti ruina prostraverunt.

[5] *Ad Capitolini montis* — Mamertinus carcer ille fuit, de quo loquitur Liv. Lib. I, 33. Ingenti incremento rebus auctis, cum in tanta multitudine hominum, discrimine recte an perperam facti confuso, facinora clandestina fierent, carcer ad terrorem increscentis audaciae media urbe, imminens foro aedificatur — *Hic sapiens quisquam.* Sic Chrysost. Homil. XVI, ad popul. Antioch. Si dicas Apostolos signa non fecisse, majorem ipsorum ostendis vir-

tutem et gratiam divinam, quod absque signis tantum orbem terrarum potuerint ad pietatem traducere; hoc enim maximum est, et inusitatum miraculum. Idque etiam inculcabat August. de civit. Dei lib. XXII, cap. 5. Si per Apostolos, ut eis crederetur, etiam ista miracula non esse creduntur, hoc nobis unum grande miraculum sufficit, quod terrarum orbis sine miraculis credidit.

[6] *Et cetera Christo* — Hinc Chrysost. Apostolos ipsos mirabundus alloquitur: Quot carceres sanctificastis? quot catenas decorâstis? quot tormenta sustinuistis? quot maledicta tolerâstis? quomodo Christum portâstis? . . . Vos Christum imitati estis in omnibus. Sic August. Serm. 4. de Sanctis. Ad imitationem capitis sui toleravit probra, sustinuit irrisiones, flagella non timuit, et quot ante mortem pro Christo pertulit supplicia, tot ei de se obtulit sacrificia. . . Quia non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis.

[7] *Tres juvenes* — *Longinus*, *Acestes*, *Megistus*, tres fuere milites ex apparitura, qui Apostolum laeto animo incedentem ad martyrii locum conspexerunt; itaque sunt commoti, ut ad Religionem Christianam converterentur, eosque ipsius Imperatoris gladius Martyres fecerit.

[8] *Sub furca vinctos*—Extremum, et maxime formidabile inter servorum supplicia fuit *crux*. Cic. V, Verr. 64. crudelissimum teterrimumque appellavit, et Jurisc. ultimum supplicium. Praeivit plerumque *flagellatio*, quae vel domi, vel per viam fiebat. Cic. de Divin. 26. Cum servus per circum virgis caederetur, furcam ferens ductus est. Furca stipes erat in duo ad extremum brachia excurrens, inter quae brachia reus inserto collo et alligatis ad ea manibus furcam ipsam dorso impositam gerebat. Videsis Aulam de servorum suppliciis. Quod ambo Apostoli more romano virgis caesi fuissent, antequam mortis supplicium subirent, quamplurimi sacrarum rerum produnt scriptores. Nec quivis addubitare poterit, cum praesertim Romae in Ecclesia S. Mariae trans pontem honore habeantur columnae, quibus ambo Apostoli fuerant alligati. Quod indignum admodum foret de Paulo, qui civis romanus erat, et lege valeria primum, deinde porcia habebatur immunis. De Petro plana res est, utpote qui vilis homuncio et ignoti generis Hebraeus haberetur. Sed ex lege duodecim tabularum, et lege sacra, si quod immane delictum perpetratum esset, reos centuriatis comitiis condemnatos verberibus affici, et capite deinde truncari mos fuit. Certe omnium scelus gravissimum habebatur impietas: ambos igitur apostolos et virgis caesos cum communi Patrum consentione opinamur—*Quam saepe astutia felix*. Seditiosissimus quisque eamdem secutus est viam. Si cetera deessent documenta, sufficeret Tac. auctoritas, et Tullii qui ad Att. I, c. 9. Video quid interest inter levitatem concionatorum, et animum vere popularem, et saluti populi consulentem. Hinc idem orator plebem urbanam ipsam *optimam*, et *modestissimam* vocabat, quae eadem partibus exagitata erat *incerta* et *perdita*.

[9] *Reposcet* — Psal. XLIX, 21. Existimâsti, inique, quod ero tui similis: arguam te, et statuam contra faciem tuam — *Trigeminam*. Porta est *Trigemina* eadem quae dicta Ostiensis. Baronius arbitratur Apostolos mortem subituros extra portam Trigeminam perductos fuisse; siquidem reos extra urbem percuti solitos constat. Certe ad hanc portam sive Trigeminam, sive Ostiensem viles, mendicosque agere Plaut. non obscure significat:

Vel extra portam ire Trigeminam ad sacculum licet:
Quod mihi ne eveniat, nonnullum periculum est.

Quod postea ad Vaticanum translatum. Et ipsemet Baronius opinatur exagitatos vehementer a Nerone Christianos non amplius intra urbem, sed inter viles personas agere consuevisse, uti alias vidimus, Judaeis transtiberinam regionem ad habitandum assignatam fuisse — *Nil simile inventrix*. Christianae legis perfectio ea est, quam Petrus Jesum affatus amplectitur: Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te. Quae Hieronymus lib. 3. Matth. cap. 19. explicat. Non dixit: Qui reliquistis omnia. Hoc enim et Crates fecit Philosophus, et multi alii divitias contemserunt: sed qui secuti estis me, quod proprie apostolorum est atque credentium. Et Jesus jure mercedem Apostolis pollicetur humana spe ampliorem. Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede majestatis suae, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.

[10] *Urgebunt odiis* — Sunt ipsamet verba Christi. Matth. X, 17. Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos, et ad praesides, et ad reges ducemini propter me in testimonium illis et gentibus — *Excelsi janua caeli*. Sic Greg. Papa Hom. 37 in Evang. Si consideremus, quae et quanta sunt quae nobis promittuntur in caelis, vilescunt animo omnia, quae habentur in terris.

[11] *Tiridatis*—Suet. Ner. XIII. Non immerito inter spectacula ab eo edita etTiridatis in urbem introitum retulerim. Quem Armeniae regem magnis pollicitationibus sollicitatum, cum destinato per edictum die ostensurus populo propter nubilum distulisset, produxit, quo opportunissime potuit, dispositis circa fori templa armatis cohortibus, curuli residens apud rostra, triumphantis habitu, inter signa militaria, atque vexilla: et primo per devexum pulpitum subeuntem admisit ad genua, allevatumque dextra exosculatus est; dein precanti, tiara deducta, diadema imposuit, verba supplicis interpretata praetorio viro multitudini pronunciante. Perductum inde in theatrum, ac rursus supplicantem juxta se latere dextro collocavit. Ob quae imperator consalutatus, laurea in Capitolium lata. Deinde XXX: In Tiridatem, quod vix credibile videatur, octingena nummûm millia diurna erogavit, abeuntique super sestertium millies contulit.

[12] *Patrobias* — Dio lib. LXIII. Praefectus ludorum fuit Patrobius libertus ejus, tantaque fuit eorum magnificentia et sumptus, ut unius diei spatio

nemo praeter viros et mulieres et pueros Aethiopes Amphitheatrum ingrederentur, quibus de causis Patrobias aliquo honore dignus erat. Ibi Tiridates de superiore loco in quo sedebat, belluas jaculo trajecit, duosque tauros uno simul ictu, si tamen credibile est, vulneravit et confecit—*Inde triumphalis*. Et primus Neapoli appulsus, et in urbem ingressus fuse a Dione ib. describuntur. Vigebat Tiridates aetate, forma, nobilitate, prudentia, magnoque famulorum comitatu, et apparatu regio; consequebantur eum tria millia equitum Pritherum, cum frequentibus Romanis, eumque urbes magnifice ornatae ac populi magnis laetisque clamoribus excipiebant; . . . Tiridates equo ubique vehebatur . . . itidem uxor ejus faciebat. Ad eumque Neapolim (Nero) per agrum Picenum venit. Dum Neronem conveniret, quamquam jussus esset, gladium quem gerebat, deponere, tamen noluit; sed eum vaginae clavis affixit; quamvis illum genu flexo, ac manus vicissim ad caelum tendens veneratus dominum appellaverit. Hunc Nero ob eam causam admiratus benigne et comiter excipit. Nero Romam eum deduxit, eique diadema imposuit. Ibi tota urbe luminibus sertisque ornata, magnaque visa est utique hominum multitudo, sed forum in primis confertum erat. Nam populus ablatus, laureatusque certis ordinibus medium forum tenuit: cetera tenebant milites armati splendidissime, eorumque arma et signa relucebant instar fulguris; nulliusque apparebant aedificii tecta, propter multitudinem eorum, qui in ea ascenderant. Quibus rebus de nocte comparatis, Nero veste triumphali ornatus, prima luce forum introiit cum senatu et praetorianis militibus, deinde tribunal ascendit, et in sede principali consedit. — *Auferre Neronem*. Quod praecipue de Parthis factum. Apud Tac. Ann. XII, clarissime dicitur. Omne scelus externum cum gaudio habendum; eaque romana ratio ad magnitudinem imperii fuit, ut intestinis seditionibus externa regna infirmarent, infirma protegerent, protectis dominarentur. Quamvis Claudius (Ann. XII, 11.) de Romano fastigio, Parthorumque obsequio loquitur, Rex Phraates ib. II, 1. Cuncta venerantium officia ad Augustum verterat, ita ut idem Hist. fateatur: Armenii semper romanae ditionis aut subjecti regis quem imperator delegisset.

[13] *Documenta repertae* — Sic Plinius XXX, 6. Magus ad eum Tiridates venerat, Armeniacum de se triumphum afferens, et ideo provinciis gravis. Navigare noluerat, quoniam exspuere in maria, aliisque mortalium necessitatibus violare naturam eam fas non putant. Magos secum adduxerat. Magicis etiam coenis eum initiaverat. Non tamen cum regnum ei daret, hanc ab eo artem accipere valuit — *Et prior Arsacides*. Haec sunt Tiridatis verba: Ego, Domine, Arsacis nepos, Vologaesi, et Pacori regum frater, tuus servus sum: venique, ut te Deum meum, non secus ac Mithram, idest solem, colerem. Et quidem is ero, quem tu me fato quodam efficies. Tu enim fatum meum es, et fortuna. Huic Nero ita respondit: Tu quidem quod huc veneris recte fecisti, ut praesens praesente me fruereris, nam quae neque pater tuus

tibi reliquit, neque fratres quae dederant, servaverunt, ea tibi nunc ipse do, teque regem Armeniae facio, ut tu atque illi simul intelligatis in mea esse potestate regna dare et adimere.

[14] *Timotheum primum*—Primum gentilis homo, deinde a Paulo circumcisus, ab eodem Paulo fuit sacris initiatus, et Ephesiorum Ecclesiae praefectus. Quanta vero Timothei virtus fuerit, quantaque benevolentia eum Apostolus sit prosequutus, e duabus ejusdem Epistolis haurire licet. Ibi boni pastoris officium potissimum exponit, ut dominicum gregem pascat, seque ipsum perfectae virtutis exemplar exhibeat. Paternam Pauli caritatem in Epist. II, cap. II, 1. demirare: Tu ergo, fili mi, confortare in gratia, quae est in Christo Jesu, et quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere.

[15] *Hirtacus* — Matthaeus in Aethiopiam missus, ubi, uti creditur, martyrio vitam absolvit. De eo lectiones sic habent, die 21 Sept. Rege mortuo, Hirtacus ejus successor, cum Iphigeniam, regiam filiam vellet sibi dari in matrimonium, Matthaeum cujus opera illa virginitatem Deo voverat, et in sancto proposito perseverabat, ad altare mysterium celebrantem jussit occidi — *Haec duo quae gentem.* Quae de Thoma narramus miracula, in Meliapore, quae erat Coromandelis caput et regia, evenisse testatur Maffeius lib. II rerum indicarum. Inusitatae magnitudinis truncum, ut fit, in littus ejecerat mare . . . Eam Rex materiam, cum in usum aedificii cujusdam vehementer expeteret, robusti primum homines incassum funibus ergatisque amovere conati: dein adhibiti complures elephanti, cum toto connixi impetu nihil omnino proficerent, Apostolus Regi conditionem tulisse fertur, si truncum illum sibi ad templum vero Deo aedificandum daret, nullis machinis, nullo mortalium adjutore sese protinus eum ad urbem attracturum. Cum rex, insanire videlicet hominem ratus, per ludibrium annuisset, tum divus Thomas zona, qua erat praecinctus, ad prominentem e caudice ramusculum annexa, signo tantum facto Crucis, immanem stipitem facili ductu sequentem, universa ad spectaculum effusa civitate, in ipso pomoerio statuit: ibidemque defixa lapidea cruce, vaticinatus est, cum ad eum lapidem usque pertingeret pelagus, tum divino jussu e remotissimis terris candidos homines ad eadem quae ipse intulisset sacra instauranda venturos. Neque fefellit praedictio — *Ast aliud majus.* Maffeius ib. Filio admodum puero ipsemet (Brachmanes) necem intulit, ut haberet, unde peregrino et inviso capiti crimen exitiumque constaret. Citatus ad Regem Thomas, cum accusator ab eo per summam indignationem et querimoniam poenas filii extincti peteret, contra Thomae discipuli affinem eum aut omnino conscium ejus culpae magistrum negarent, nihil opus esse conjecturis et certaminibus ait Apostolus: ab ipsomet qui occisus, dicatur; omnem optime cognosci rem posse: petit ut ejus publice interrogandi potestas esset . . . Tum ad exanimem puerum Thomas placido et sereno vultu conversus: Agedum, inquit, per Chri-

stum quem ego Deum praedico, palam et sine ambagibus, puer, prome, quisnam hujusce tanti sceleris auctor extiterit. Mirum dictu! ad Christi nomen frigido et exangui corpusculo vitales confestim rediere spiritus, et clara voce ut omnes audirent: Thomam certum summi Dei legatum; et ipsius odio, ad struendam illi calumniam, nefarias a parente sibi manus allatas esse confirmat.

[16] *Processus* — De hoc Processi et Martiniani Baptismate fuse admodum Baronius loquitur. Christ. 68, XXIV. Qui apostolorum custodes a Petro ad fidem conversi, erumpente divina virtute ex petra fonte, lavacro baptismatis lustrati sunt. Et adhuc iste fons carceris visitur, positus in medio carceris strati praegrandibus lapidibus tiburtinis sibi invicem adhaerentibus. E perforato saxo aqua erumpit, ut nec foras exundet, nec, quantumlibet hauriatur, deficiat. Hodiedum religionis ergo carcer et fons invisitur.

[17] *Amictus* — Mithras a Persis dicitur Sol, cujus simulacrum effingebatur rictu leonis cum tiara, utraque manu premens bubula cornua. Ipse primus Sacerdos dicebatur etiam Mithra, et Mithriaca sacra soli peragi solita post hymnorum concentum — *At lux vera*. Primo die dixit Deus: Fiat lux, et facta est lux: sed quarto die dixit: fiant luminaria in firmamento caeli. Naturae auctor a lumine opificium suum auspicatur. Illud de Deo saepissime in Scripturis videas affirmari. Joan. I. Erat lux vera; VIII. Ego sum lux mundi. Lux vera Deus est, cujus haec sensilis imago esse videtur. Quam caeca sunt gentium deliramenta, quibus Sol ac Luna veluti numina quaedam adorabantur!

Proper
sposi
eta p
Tut
ne F
vim
con
spec
spe
tem
ipse
tio
ge
sta
nu
lita
stu
tu
tio

PETREIDOS

LIBER XXII.

ARGUMENTUM

Prosperi successus ex Oriente nunciantur — Discordia intus saeviente, Vespasianus, externis auxiliis adjutus, urbes capit, castella expugnat, rectaque Hierosolymam contendit, quo vis omnis seditionis convenerat — Fuit Neroni et alia laetitiae causa, Bassi Caesellii commentum, qui origine Poenus, principis aditum emercatus, in altissimis agri sui cavernis vim auri ingentem latere nunciavit — Illas opes Didonem Phoenissam, condita Carthagine, abdidisse — Non auctoris, non ipsius negotii fide spectata, Nero triremes, et navigium parat; romani aerarii veteres opes obligurit — Sed arvis longe lateque pertentatis frustra, Bassus mortem sibi conscivit — In Neronem nova odiorum materies subjecta — Sed ipse novam laetitiae publicae causam obtulit, neronianae domus dedicatione—Quae magnitudine et copia indicas et persicas substructiones longe superaverat, tribus urbis collibus occupatis — Passim interjecta arva, stagna, silvae, aperta spatia, et prospectus — Praecipue Coenacula luxu eminebant, ubi aurum et gemmae haud perinde miraculo essent, solita et vulgata — Adhaec tabulis eburneis versatilibus, ut flores per fistulas et unguenta desuper spargerentur — Laquear rotundum perpetuo diebus et noctibus vice mundi circumagebatur — In solemni dedicatione, domum, hortos plebi aperuit—Sed Senatum intra *domum auream*

vocavit, ubi nova musices studia publicavit, novumque carmen cecinit — Quo absoluto, alexandrino more, nobilissimi adolescentes modulatis laudationibus plaudunt — Quibus ebrius successibus Nero divinos honores affectavit — Urbs omnis praetorio exercitu, et aula ipsa germanicis copiis circumsepitur — Frequentissimus convenit Senatus, ubi Cerealis innumera imperatoris benefacta exponit; Romam ex integro instauratam, aulam divinis machinamentis, caeloque parem extructam, securitatem a barbaris et Judaeis urbi redditam, Musicae artis praestantia romanam gloriam amplificatam — Humana omnia praegressum, praesentem pro Deo Neronem habendum — Placuit sententia Senatui, utque Neroni Divo templum, et sacerdotes statuerentur, decretum — Senatusconsulto palam proposito, Roma in Capitolium vocatur — Dumque forum, Capitolium, et Tarpeja rupes multitudine opplentur, pompa solemniori et triumphali habitu, quadrijugo invectus curru Nero Capitolium ascendit — Ubi toto senatu exceptus juxta Jovem assidet — Victimae Neroni Deo caeduntur — Pontificale epulum in templo ipso celebratur, forisque turmatim tribus ad publicas dapes discumbunt — Omnes domus festis coronis ornantur, thura et assyrii odores adolescunt — Parte alia, Petri aerumna per orbem terrarum propagatur — Quo Christiana virtus tot suppliciis spectata vehementer animos commoverat — Novisque factis incrementis, per totam Europen atque Asiam et Lybiam fides romana ante aras communes firmatur — Candelabrum ingens, novae lucis originem e Romana urbe emicare omnes suspiciunt — Calamitatis rumore Italos propiores vehementius excussos tanta impulit caritas, ut Petro auxiliaturi armati Romam accurrerent, nisi pastores detinuissent — Neque minus interea in mamertino carcere alii luctus, et solamina Petro deerant — Bartholomaeum nuncius refert extinctum, Mystarum improbitate — Et Romam redeunt Hermus, et Eune Patrem consolaturi — Is noctu tres Christianorum Ecclesias extremum perlustrat, Pudentis, Narcisi, et Lucinae, primaque luce in carcerem redit — Petri meminit Nero, eumque ad aulam vocat, si forte domus aureae fulgore obstupefactus, captivus, flagellis caesus, divinam Neronis majestatem adoraret — De Judaea rebellante tuta omnia Petrus pollicetur, quia Deus ipse populum Dei interfectorem Romanis armis devoverat — Neque a Christigenis aliquid timendum, qui Dei gloriae tantummodo studebant — Quae verba cum Neronem magis turbâssent, isque nullum alium Deum, nisi Caesarem esse clamaret, Petrus, mansuetudine deposita, immanissimo Principi sua objicit scelera — Tremuere Nero, aulicique — Pontificatus Romani officium jam tum enituit, eo comparatum, ne verum justumque pro humanarum cupiditatum arbitrio esset, sed certa formula maneret divini-

tus institutum — Interea audito Petri ad aulam accitu, Romana Ecclesia vehementissime orabat — Neque minus in carcere atticus Antistes et Tarsensis pro Pontificis incolumitate precabantur—Secumque mirabantur veteris Romae, et recentioris duces cominus in aula congredi —Et majorem Ecclesiae gloriam obventuram sperabant — In his erant, jamque inconditos rumores appropinquare audiunt, defixis animis—Moxque ipsum Petrum quam placidissime milites alloquentem vident — Mamertino carcere insistentem circumdant omnes—Dumque aulicos successus memorat, plausibus a captivis excipitur, non sine militum admiratione, qui tantam senis quietem et dignitatem obstupuerant—At Cletus, et Linus et praecipue Aegystus, cum certum periculum ab neroniana aula metuunt, Petrum, ut fuga sibi consulat, hortantur — Indignum pontificia fortitudine consilium despicit Petrus—Sed Paulus graviorem addit orationem —Non sibi ut ceteris agendum, cui universa Ecclesiae procuratio erat demandata — Ecclesiae securitati in primis cavendum — Commoveri videtur Pontifex, Deique consilium per orationem explorandum statuit — Abeant oratum, prima nocte redeant — Ferventissimis precationibus instat Petrus — Christi monitus perpendit — Ecclesiae pericula videt; de suis viribus timet; fratribus adversa sentientibus, Romanae Ecclesiae judicium sperneret? — Quod si sperneret, Deum ipsum spernere videretur — Talia meditans excutitur, suaque martyrii cupiditate humani aliquid subesse timens, dubitat submissus humilisque — Jamque prima nocte fugae paratum socii inveniunt — E porta Capena egrediens ad Almonem flumen pervenerat, ecce autem Christum crucem ferens illi occurrit: et quo, Domine? exclamanti, ille respondit: *Venio pro te crucifigi* — Caeleste oraculum audiit Petrus, et praesenti animo rediit — Sociis cuncta narrat; seque ad mortem parat; neque multo post lictor mortem illi, et Tarsensi nunciat — Non interea conquieverat Satanas, qui mortem oblatam videbat; sed mortis timore injecto animam et corpus Pontificis perdere quaerebat — Et socii Moloch, et Astaroth quos ex oriente advocârat, exturbant nunciis, qui Christianam religionem ubique subolescentem attulerant — Ipse opus aggreditur — Sed quominus carceri appropinquaret, Pontificis adspectus eum deterruit — Procul ipse infernum satellitium, degeneres curas immisit — Quas conticescere confestim jussit Petrus, animo ad supernae felicitatis praemium sublato — Mox matrum lamentantium coetum exacuit Satanas, si qua vi perseverantia et gravitas labefactari posset — Sed afflictas consolatur Petrus, ea potissimum cogitatione se e caelo Romanae Ecclesiae nunquam defuturum — Nulla spe amplius relicta, infrendens abit Satanas — Sed in horas singulas Christianorum multitudo ad carcerem crescit — Lucinae precibus

Longinus et Megistus, militares custodiae, carceris ostium non gravate aperiunt — Tanto convenientium numero exultat Petrus — Sed non in romana aula eadem erat laetitia — Ubi omnia terrore et tumultu circumstrepunt — Romanae acies in Gallia, in Hispania, in Germania a Nerone deficiunt — Qui tumultuario furore insanit — Et scelera anhelans, nec sibi amplius constans, angore conscientiae excruciatur — Teterrimae furiae ardentibus taedis insectantur — Domestica, urbana funera animo obversantur, seque ab omnibus destitutum clamat — Terroribus exagitatur vigilans, et dormiens — Helius et Tigellinus sibi metuentes, neque sponte a gubernatore clavum imperii deserendum clamantes, prostratum Principis animum erigunt — Ad militares curas se totum vertit mutatus Nero, cumque toto terrarum orbe congredi parat.

Gaude sorte tua, Caesar. Judaea Quirino
Cedit victa manus: quid enim exuperare valebit
Diluvium armorum, aggestum auxiliaribus undis '?
Nec mora: virtutis recolens documenta paternae
Deseruit Titus nilotica regna: sequuntur
Egregium juvenem maioraque fata petentem
Densae acies: movet Agrippam insuperabilis ira,
Et genus invisum, spretique injuria regni.
Deserit Antiochus Comagenem, arcesque Sophenes
Deserit aerata praecinctus gente Sohemus;
Deserit Arabiam Malchus: venere volentes
Externi Reges, peditumque equitumque tulere
Auxilium Romae, diuturno foedere nexi.
Regibus externis unus populisque praeibat
Magnus Vespasiae natus, qui romula agebat
Agmina per Syriam jampridem instructa patentem.
Sic saepe aeriis subsidens cautibus ales,
Sicubi per valles praedam speculatur opimam,
Sese operi accingit, varioque per aera gyro
Discurrens loca certa prius metitur, et ictum
Apparat antevolans. Gradiens per rura, per urbes
Seditio interea malesana incendia perflat:

Romanus ductor nunc vi, nunc militat auro,
Arma fovens intestina, in seseque fatigans
Hostem praevalidum: detrito jamque cadenti
Ingruere, et dubium sperans decernere bellum.
Ecce equitum incursu celeri, gravibusque maniplis
Pressa jacet Galilaea: simul defensa praealtis
Rupibus urbs Jotapat ferro flammisque labascit;
Victa cadit Tiberî regio, Tarichaeaque pugnax,
Et Gamala, et Thabor, foedoque agitata latrone
Giscala. Jerusalem portis bipatentibus omnes
Concurrit legio, quo rerum summa moratur.
  Laetos successus, diri fausta omina martis,
Jamjam victrici redimitus tempora lauro
Nuncius attulerat, totamque oppleverat urbem
Laetitia, atque aulam; felicius inde secutum
Augurium insueta commovit imagine mentes
Jamdudum excitas, majoraque gaudia fudit.
Sanguine poenus erat Bassus Caesellius [a]. Olli
Lumina dum sera clauduntur fessa quiete,
Plurima per varias monstrantur signa figuras.
Tum varias audit voces, oculisque videtur
Cernere thesauros ima tellure latentes.
Tali sollicitus monstro nocturnaque credens
Somnia Caelicolûm secreta ostendere vera,
Contendit Romam, atque aditum mercatus ad aulam:
Magna fero tibi, Caesar, ait: tua prospera fata
Imperium faciunt cunctis memorabile saeclis.
Est spelunca meis arvis, immane barathrum,
Quaque cava rupe effossae patuere cavernae,
Argentique aurique jacet mirabile pondus.
Nec certam jactat perfecta pecunia formam,

Sed rudis antiquum in morem, congestaque acervis
Lamina. Nî fallor: tyria Dido urbe profecta,
Postquam belligerae statuit Carthaginis arces,
Immensas infodit opes, ne infracta pudendo
Concideret luxu Marti devota propago;
Auri neu forsan suadente cupidine ad arma
Finitimae irruerent gentes Nomadumque tyranni.
Talia promissor, totamque repente per urbem
Thesauros infecti auri factique repertos
Fama refert, factumque canunt mirabile vates.
At Nero, nec facti fuerit si futilis auctor,
Nec per visores spectans, si vera referret,
Omen suscepit laeti praesentius aevi;
Quo partam aveherent praedam, parat ultro triremes:
Impositos socios agrestibus instruit armis.
Et dum navigium tiberinam stabat ad undam,
Cunctaque populea velatur fronde juventus;
Omnia festivo complentur littora coetu.
Ipse inter fremitumque virûm plausumque faventum
Progressus: Properate, inquit, vos certa manebunt
Praemia venturos, neque Romae opulentia deerit.
Interea exultans, velut aurea saecla redîssent,
Luxurie insana profundit munera; jactis
Missilibus, densum excurrit per compita vulgus:
Dat tibi, qui illustris media pugnator arena
Exîsti, Senecae proscriptum divitis arvum:
At tu qui cithara praestas, fidibusque canoris,
Silani extincti vacua donaberis aede.
Caesareas laudes, et sortis dona secundae
Concelebrans vates habeat sestertia mille.
Convivae, et mimi, et famularis turba, potentis

Ornamentum aulae, dominum ne ambite benignum
Pluribus; ultro juvat largo indulgentia sumptu,
Caesarea nemo indonatus abibit ab aula.
Sic priscas consumit opes, censusque repostos
Aerarî, mussantque senes, et damna queruntur.
Jamque adeo crevit lymphatae insania mentis,
Ex quo perfecta ingenti molimine vidit
Moenia vasta domus. Majorem surgere molem
Nilus et Euphrates nullum videre per aevum.
Splendida templa Deûm, et dominorum operosa potentum
Limina certavit miris audacia coeptis
Moliri: sed cuncta Nero miracula vicit.
Qua magno in gyro romana Palatia currunt,
Incipit assurgens, geminique cacumina clivi
Coelium et Aesquilias venerabilis occupat aula [3].
Centum aulas aula dices consurgere in una.
Atria multa patent, multisque effulta columnis
Porticus exterior, positaeque ex ordine mille
Heroum effigies fastigia summa coronant,
Queis modo praeclaras Asiae spoliaverat urbes.
Ipso in vestibulo patulum dedit area campum,
Qua se marmorea sustollit mole colossus,
Sive Deus, geniusve loci: tum immensa patescunt
Interiora domus: centumque cubilia, centum
Obductis velis et itu redituque diaetae
Secretae, centum tabulis conclavia pictis.
Tres luxu valles non dissociantur eodem.
Aprici sensim qua sese subducere colles
Incipiunt, mollique jugum demittere clivo,
Praecultae abrumpunt extructa palatia villae.
Saepius Amphitheatralem facit area circum,

Qua Princeps temere laxas moderatur habenas
Quadrupedum, celeresque agitat per aperta quadrigas.
Turribus aeriis nemora inter frondea vernant
Sylvae perpetuae, semperque virentibus hortis
Purpurei florescit honos verisque juventa.
Crystallo illimi lucent freta laeta, praealtis
Obsepta aggeribus, pendentque coercita fraenis [4];
Urbibus in mediis maria alta innare putares.
Mox iter arboribus textum, umbrosaeque cavernae
Pumice muscoso obseptae, et jucunda vireta;
Hac Anien niveis uberrimus effluit undis;
Nec procul irriguo per prata recentia gressu
It Tiberis. Qualis phrygia Maeander in ora
Ludit, et ambiguo flexu refluuntque fluuntque
Incertae lymphae; varia sic arte pererrant
Fontani latices, aut certa sede quiescunt.
Plurima flumineis ripis assurgit ad auras
Arbor, ramorum quae margine pandit utroque
Brachia, et ingenti late super imminet umbra.
At folia aerio passim exhilarata virore
Vernant; umbrarum dant illis praemia lymphae,
Auraque odorifero circum halat rorida nimbo.
Daedalus ipse opifex rerum certa omnia norma
Digessit, cultisque locis inculta remiscens,
Ordinibus variis naturam vicit, et ipsa
Effinxit propius divina imitamina vatum.
At sibi caesareas rapuit domus aurea [5] curas
Praecipue. Caesar regali habitare recessu
Ambierat, toto quo nil formosius orbe,
Nil majus, summo posset contendere caelo.
Ars et materies certant: quae marmora rara

Taenariae lybicaeque diu abscondere fodinae,
Quaeque metalla imis terra invidiosa fovebat
Visceribus, totum impensis quaesita per orbem.
Plena sparsa manu argentique aurique coruscat
Copia: quin etiam pictis intexta columnis
Plurima gemma micat, varioque incensa nitore
Attalica idaliis pendent aulaea figuris.
Praxitelis, Phidiaeque manus, animosaque signa
Lysippi, viduata dolens huc Graecia misit,
Et quas Parrhasius tabulas, quas pinxit Apelles.
At nihil ingenti aequabat Coenacula [6] luxu.
Stant caelato ebore e summis laquearia tectis,
Quae saepe obversis discedunt frontibus, atque
Fistula convivas supra floresque recentes,
Solemnemque crocum, et miros effundit odores.
Qua tamen extructis celebrantur fercula mensis,
Aula est prae cunctis laetissima: mole rotunda,
Mobile ceu caelum constanti circuit orbe
Tellurem, motu noctemque diemque perenni
Sese circumagit: specularia magna nitentem
Assimulant solem, rutilisque micantia flammis
Sidera, et incerto vectos errore planetas.
Quid mensas referam ingentes, suppostaque fulcra,
Extructosque toros, soliique insigne tribunal?
Obstupefacta acies per viva incendia oberrat.
India nec quidquam vidit locupletius, atque
Persis, sive aliae per regna nitentia gentes,
Qua tellus foecunda auro, maria alta repostis
Contendunt conchis; naturam imitatur opimam
Ingenii ubertas, dominosque nitentior ornat
Barbaricos luxus, et raris copia gazis.

Quid referam certa surgentia balnea sede?
Jamque adeo occultis dives salit Albula 7 claustris,
Aequor tyrrhenum lymphae liquere marinae,
Metitae vastos glomerato flumine tractus.
Et nunc frigescens foecunda aspergine rivus,
Et nunc occulto erumpit calefactus ab igne.
Qua fers cumque oculos, tua se tibi reddit imago:
Et vario splendore solum, et laquearia fulgent.
Picturas rerum insignes mira exhibet arte
Inscriptus paries: locat hic sua regna voluptas.
Tantum opus exactum modico vix tempore, tantos
Aulae splendores elata mente superbus
Ipse stupet Caesar, coetumque affatur amicum
Lectorum comitum: Coluit venerata vetustas
Romae principium, nec adhuc plebs grata quotannis
Natales celebrare dies oblita remisit.
Non magis ipse ferar romanae conditor urbis?
Romulus anne mihi anteeat? nonne altera Roma
Dignior imperio, duce me, meque auspice, surgit?
Et major fortuna mihi: mihi serviit omnis
Artificum studiis solertia mira peritis:
Confluit e toto celeberrima copia mundo,
Et signa, et statuae, et rerum pretiosa supellex.
Romam orbis dominam decoravit subditus orbis.
Eja juvat, comites, albo signare lapillo
Natalem alterius Romae. Sperare licebit,
Qua pateat cunctis Romana potentia terris,
E cinere assurgens celebretur Roma, meumque
Cum Roma vivat simul indelebile nomen.
Talia jussa dedit Caesar. Tota ilicet aula
Festinant. Motus varios, externa pericla

Tantumque effusum per compita foeda cruorem
Demisere animis, promissaque gaudia curant.
Plurima finitimas praeconia missa per urbes
Edicunt populis renovatam Caesaris aulam;
Augustae interiora domus reserata patere,
Cui fas cumque fuat: magna mirentur in urbe
Caesareae molimen opis. Commota propinquis
Continuo pagis populosa superfluit unda:
Aerarî spes extremas insana peredit
Luxuries, totam convivia lauta per urbem
Suppeditans: partim augustis versantur in aulis
Conferti, mensis partim accubuere paratis,
Uno munificum laudantes ore Neronem.
At condicta dies coenacla aurata reclusit.
Patriciam Romam vocat ad spectacula Caesar,
Pollicitus comperta novi modulamina cantus.
Aularum immensam molem, gazasque repostas,
Tantum eboris, tantumque auri, tantasque superbis
Affixas lacubus radianti lumine gemmas
Obstupuere omnes. Neque pulchrior obtigit aula
Caelitibus, clamant: neque Caesar laude moveri
Visus: at obscuro ceu si graviora volutans
Vultu: Non homine indignam vix denique, dixit,
Possum habitare domum [8]. Media inter talia, cantum
Exposcunt omnes immenso murmure: Vocem
Divinam concede, Nero: quae digna deorum est
Auriculis tantum: Romam ne despice; dulce
Ede melos. Talis cessat vix rumor in aula,
Ignoti generis mandavit hydraulica [9] ferri
Organa, et ostendens docuit numerumque modosque.
Parthenopes pleno cantârat forte theatro,

Et pharii juvenes, perfecto carmine festos
More suo extulerunt plausus, sonitumque dedere
In numerum. Plausus rapuere, sonique Neronem,
Et lectos equites validamque e plebe juventam
Protinus excerpsit, certaque studere palaestra
Plausibus edendis jussit: mox ordine cunctos
In varias statuit partes, ut forte canenti
Navarent operam, aut fremitu studiisque faverent.
Tum vero egregio cultu, pexoque capillo
Insignes pueros semota in parte locârat,
Instructos peregrinam artem, dederatque magistros [10],
Musica qui regerent certamina, jussaque obirent,
Atque idem tota fieret concentus in aula.
Jamque, dato signo, domus aurea tota silescit,
Immoti steteruntque pedes, atque ora, manusque,
(Ipse Nero jussit: qui jussus spreverit, atrox
Poena foret lethum) conscendit pulpita Caesar;
Est eadem vestis, qualis fuit ante, Neroni.
Cynthius haud aliter frondente cacumine Pindi
Aonias comites ad cantum et plectra vocabat:
Et Nero Phoebus erat, credi sic ipse volebat.
Auratam tenuere lyram pro consule functi
Tergemini patres: et mox cantare paratus
Exurgit: citharae primum fila aurea tentat
Praeludens, animosque ciens: tum constitit, atque
Vocales una percellens pectine chordas,
Una dulcisonos effundit ab ore loquelas,
Alternatque modos, et cantu recreat auras.
Cuncta tacent intenta sono subsellia, nulla
Sese dextra movet, modo respirare potestas.
Vix explevit opus fidicen, fessusque resedit,

Dum lecti frontem abstergunt sudore madentem.
Plausorum interea incipiunt modulamina: *testas* "
Et *bombos*, italis ignota vocabula, plaudens
Dixerat Aegyptus quondam; placuere reperta
Romulidis, fremituque novo plausere Neroni.
At Nero tot faustis rerum successibus impar,
Ipsam tellurem voto uberiora tulisse
Sponte sua reputans, cognataque numina caeli
Praesenti signo terras hilarâsse jacentes;
Sese majorem terris, caeloque sereno
Debendum credit, numerumque auxisse Deorum.
Sic dira improbitas, ubi vincula cuncta resolvit,
Unde suo religata haeret Natura Satori,
Fit Deus ipsa sibi. Dios Nero poscit honores!
Huccine dira hominum recidit dementia? caecas
Terrigenûm usque adeo quatit assentatio mentes?
Continuo gravibus jussis romana coacta est
Curia: conveniunt longo cuncti ordine patres,
Pendere Romuleae graviora negotia sortis.
Dum fremit Imperium trepido simul omne tumultu,
Unam totque premunt externa pericula Romam;
Accitum intra aulae penetralia tecta senatum
Audiit urbs trepidans, rerumque ignara novarum.
Rumores varios praetorî exercitus ingens
In triviis duplicat, subitis conspectus in armis.
Pars aditus primos urbis, turresque capessit,
Pars crebris cursat per compita vasta maniplis:
Excubat arrecta ante aulam germanica pubes,
Caesareae tutela domus. Num Gallia nostris
Militibus quaerenda? ferox num Hispania? nostris
Inclusi muris, romanoque aggere septi

Hostem expectamus; Romae nec vivida virtus
Ibit in adversos? Patribus quae cura vocatis?
Romani ecce autem proceres regalia tecta
Conscendunt, splendensque novo domus aurea luxu
Romani imperii munimina prima salutat:
Continuo Cerealis (eo dicente, silescit
Aula stupens) decus insuetum et benefacta Neronis
Narrare ingreditur: Quam tempora rara tulere
Fortunam imperii, et justis celebrare trophoeis,
Et seris tantum ostentare nepotibus aevum
Est animus, Patres. Nulla haec memoranda vetustas
Rerum opera aspexit: mira omnia tota stupescit
Italia, atque procul nostris confinibus ipsa
Excita barbaries felici huic invidet urbi.
Talia debuimus porro sed fata Neroni.
Omnia dîs genito similis, vocemque coloremque
Et crines flavos, romana vescitur aura.
Urbem funesto excidio flammaque receptam
Continuo e cinere immundo consurgere jussit,
Et paucos intra menses superare Quirini
Molem indigestam, et meliori fulgere cultu.
An certis signata locis fora, compita, turres,
Templa, theatra, domos uno se more tenentes,
Et paribus digesta eadem fastigia pinnis
Antiqui videre senes? Quae Curia vidit
Majori augustos patres considere templo?
Et qua, nî supero bipatentis vertice Olympi,
Augustam, ingentem, picturatisque columnis
Ter mille effultam, argentoque auroque superbam
Cernere erit? Terris haec una beatior aula,
Qua vox dia sonans dulci modulamine, centumque

Exuperans citharas, varia discriminis arte,
Ipsis caelicolis terrarum inspirat amores.
An quisquam ingenti maculatam crimine nostram
Asseruit famam? Solio sceptrisque paternis
Insidiatum agmen prudenti perculit ense:
Et super his patriae poenas, odiisque senatus
Debentes vaticanis tumulavit in arvis,
Christiadûm et probro romanam proluit urbem.
Externi reges properant concurrere Romam,
Quo facie possint praesens agnoscere numen.
Et nunc praecipuum belli nodumque moramque,
Quem dicunt Petrum, tarpeio carcere clausit.
Roma deo tantum fuerit male grata Neroni?
At porro justis abolendum hoc dedecus ausis.
Est humana Nero egressus fastigia [19]: templum
Censeo ponendum divo immortale Neroni.
Sic ait: immenso oranti plausere fragore
Unanimi patres: ubi murmura prima quiêrunt,
Coccejus fatur: Donec templi ardua moles
Exurgat, ne Roma pio male parcat honori.
Conscendat Caesar primo Capitolia mane,
Assideatque Jovem juxta, sacrisque vocare
Incipiat Roma, et justis venerarier aris.

Crastina lux aderat, certisque indicta maniplis
Anceps Roma diu novit consulta Senatus,
Et capitolinam laetata affluxit in aedem,
Mactatura Deo solemnia sacra recenti.
Jamque adeo ingenti vulgo Capitolia summa
Stipantur: tarpeja replet contermina saxa,
Romanumque forum, atque objecta Palatia fervens
Unda salutantum: auratae vexere quadrigae

Corpora magna dei: tantae pater urbis et auctor,
Qua transit, circumstantem secedere vulgum
Armatae jussere acies. Curru ille nitenti
Considens, chlamydemque auro stellisque coruscam
Induitur, ramumque manu praetendit olivae
Paciferae: laeto plaudentes ore salutans
Per mediam incedit turbam, ridetque beatus,
Commune agnoscens studium, fremitusque secundos.
Vix stetit ingentis subter fastigia templi,
Olli Romulidûm proceres totusque Senatus
Occurrunt partita acie, et deducere gaudent
In templum. Stabat gemmis auroque coruscans
Conspicuum solium, quod certa sedilia circum
Cingebant. Cunctis sedit Nero celsior; illum
Romulei patres densa cinxere corona.
Mox ubi pervenit solemnior hora, siletur,
Et Senior magni consistens limine templi,
Unde queant ipsum subjectae cernere gentes:
Roma, audi, clamat, cunctique audite Quirites.
Caesar erit Deus in terris: sic censuit omne
Concilium Patrum: totusque obtemperet orbis.
Ingens decretum resonant praeconia centum,
Et mixtim repetunt gentes: vox omnibus una:
Caesar erit Deus in terris: vocemque propinquus
Immensam Tiberis, septenaque culmina reddunt.
Praesenti tum sacra Deo properata litantur.
Triginta magnos praestanti corpore tauros,
Et totidem intacta mactant cervice juvencos:
Diripiunt sectis spirantia viscera costis,
Commissasque notas properus rimatus aruspex,
Aeternum Romae imperium, et bona cuncta precatur:

Et mox accensis dum ardent lustralia flammis
Exta, et fumiferas it pinguis nidor ad auras,
Expediunt epulas alii, partemque viritim
Susceptam torrent carnis, tractimque jacentes
Vescuntur: diffuso addunt crateres ïaccho
Laetitiam, plauduntque tibi, decus addite divis,
Magne Nero, Romae praesens tutela potentis.
Nec minus interea tecto interiore vacabant
Sacratis proceres epulis; solemnia luxu
Regali totum stipant convivia templum.
Stat medio deus ipse toro, capitique corona
Imminet insignis, radiisque micantibus ardens.
Purpureis subter strati accubuere tapetis
Armorum primique duces, omnisque Senatus.
Postquam prima quies dapibus, perlata coronant
Pocula, praesentique deo libamina ponunt,
Romae custodem, Indigetemque, Deumque canentes.
Romanae interea matres sua quaeque recenti
Atria flore ornant; crepitat bene laurea flammis,
Thuraque panchaeos properant diffundere odores.

Parte alia ingenti romana Ecclesia clade
Crescebat: magnas resonant diffusa per urbes
Romani mandata Patris; suspiria vitae
Spiramenta novae fuerunt. Superincita virtus
Christiadûm tumidae nigranti horrore procellae
Clarior exarsit praegrandi lumine lucis.
Ac veluti quondam campo intumulata patenti
Ossa prius vidit squalere arentia vates
Ezechiel [13]; afflante Deo, mox cuncta moveri
Coepere, et conjuncta simul compagibus arctis
Vis ignota egit, subitae spiracula vitae

Aspirans; hortante Petro se commovet orbis
Totus continuo, defunctaque corpora passim
Murmure motantur trepido, maciemque retergent
Longaevam: vivaci animo infusoque calore
Consurgit bene structa acies, exercitus ingens
Per Lybiam, atque Asiam, et seras quas aspicit oras
Hesperus: exoritur magna de gente propago.
Praecipue Europa in media praefulgere coepit
Italia, ostentans fulgentem lumine flammam.
Dia fides sociata calet communibus aris,
Perque ortum pariter solem, solemque cadentem
Firmior assurgens sancto concordia amore,
Thurea ceu nubes, caelum contendit in altum.
Exemplo insolito sanctum exultare cruorem
Obstupuere omnes; Romana Ecclesia foetu
Ubere concrevit, saevoque e vulnere duxit
Omniparens Genitrix magnum per membra vigorem.
At nunc Pontificem latebroso carcere clausum
Praepetibus pennis volitans vix fama propagat,
Continuo quatit Italiam sacer impetus omnem.
Communis gemitus extremae saxa Minervae
Et mediam Ausoniam, et nimbosas transvolat Alpes.
Pars rumore malo, tristique exterrita casu,
Christigenis veluti communia damna caducis
Instarent, anceps varia formidine oberrat:
Pars laeves clypeos, et lucida spicula terget,
Infestisque parat Romam procedere signis,
Et rabiem immanem latii quassare latronis.
At mens pastorum casu concussa sinistro,
Dissimulans fertur sociata per agmina, bello
Acclines animos consolatura frementes;

Unaque vox cunctis: Humana quid arma paratis,
O nati, aut quidnam petitis concurrere Romam?
Arma manent nostrae genti graviora, precesque
Et lacrymae: sanctas omnes properemus ad aras,
Pro capto orantes: Christus sua jura gerentem,
Muneraque in terris casu moderatur in omni.
Dirigit ipse greges ovium, addictosque magistros.
Illius est sanguis Romana Ecclesia, terris
Fundata: anne suam defessus conditor urbem,
Anne suum linquet segnis possessor ovile?
Et si Pontificem majora pericla manebunt,
Quis timor est vobis? Romana Ecclesia stabit;
Alter consurget vacua bellator in aede,
Qui coeptam terris pugnam et bene nata sequatur
Munera: nec gregibus, nec tot pastoribus unum
Deficiet caput. Ipse sedet caput aethere Christus:
Gestantem ipse vices, successoremque creabit.
Talibus accensas quaerebant flectere mentes
Pastores itali. Est oculis Roma obvia cunctis.
Legati properant ultro citroque frequentes,
Ipseque Pontificum Senior, licet abditus antro
Captivus, positas utroque in littore gentes
Inflammat, Christique uno conjungit amore.
At non defuerunt solamina plurima Patri,
Nec plures luctus. Primo veniebat eoo
Nuncius et dira retulit te caede cadentem,
Bartholomaee [14]. Pio gemitu sic ille locutus:
Heros magnanimus primo regressus ab Indo
Venerat Armeniae in campos majoris. Ibi omnem
Luce nova replens, radiisque nitentibus oram,
Christiadûm fidei bissenas attulit urbes,

Quin etiam in magna Rex ipse Polymius aula
Praebuerat faciles sanctis hortatibus aures;
At veteri cultu viduari altaria divûm
Prisca superstitio infremuit, regisque nefandus
Astyages frater nunc vana territat ira
Pastorem, variis nunc illum assultibus urget.
Obstat inaccessus furiis Christi inclytus heros.
Ut nil profuerunt hosti molimina cuncta,
Horrificis jussit discerpi membra flagellis.
At Martyr Christi perstabat laudibus, ausus
Quin etiam diro coram insultare tyranno.
Carnifices hamis toto de corpore pellem
Traxere. Ille animis superans, patiensque laborum
Gaudia versabat caeli, ridensque dolore
In medio, vitae morientia claustra reliquit.

Ecce duo superinducto velamine cincti
Funestam intravere domum. Neque miles ab antro
Arcuit excubitor, facies neque honesta sinistrum
Portendit quidquam. Recta vertuntur ad ipsum
Christiadûm Patrem, longo ceu cognitus usu
Ipse foret. Coram ut tandem venere, rejecto
Tegmine confestim, sese stravere sacratos
Ante pedes. Ollis lacrymarum turbidus imber
Volvitur ex oculis, neque se saturare tuêndo
Possunt Pontificem, et plantis pia basia libant.
Ille autem, cura ceu si perculsus amara:
Turbatam, o nati, namquid rediistis ad urbem?
Ut tecum moriamur, ait, suffusa nitentes
Eune oculos fletu: neque conjux segnior: Ipse
Hanc vitam, o Senior, per mille pericula rerum
Servâsti, atque animas sacra Baptismatis unda

Lustrâsti, donans caelestis munera vitae.
Reddimus ultro datum. Seu tecum vivere Romae,
Sive mori tecum excupimus: quaecumque tenebit
Nos regio, sine te, noctes sine sidere volvent,
Et sine sole dies: tellus inamabilis omnis.
Tum mulier: Laetam Christi pro nomine mortem
Conjugibus, Pater, invideas? Reminiscimur ipsi,
Quae Genitor moriens mandata extrema reliquit:
Sacra mihi sunto praecepta novissima Patris.
Nobile par juvenum! violento turbine abacti,
Jam poterant tandem certa gaudere quiete,
Et jam trinacrio requiêrant littore, dulces
Amplexi tandem comites, carosque propinquos;
In mare navifragum extemplo rapit unda resorbens.
Audierant Romae casus, et carcere Petrum
Inclusum audierunt: nullae potuere suorum
Flectere blanditiae: littus liquere sicanum,
Et Tiberis flavas properant contingere ripas.
At Petrus ut mediam vidit nigrescere noctem,
Et totam obvolvunt obscura silentia Romam,
Carceris horrendas tarpei deserit umbras,
Et binos ducens comites, romanaque lustrans
Compita securus quaerit sacra tecta Pudentis.
Ille suum terris extremum accedere tempus
Aspicit, et primam sacrorum invisere sedem
Extremum gestit. Cupidum vix limine gressum
Fixerat, arcani per muta silentia templi
Occurrunt animo sacrae prima ordia Romae,
Magnaque commemorat virtutum exempla recentum.
At laeto non ore Pudens, non obvia venit
Natorum soboles. Lacrymans reminiscitur omnes

Pontificum Pater, atque pia sic voce precatur:
At vos praesentes vestras me insistere sedes
Conspicitis. Jam sancte Pudens, jam sancta propago,
Auxilium posco vestrum: praecurrere nobis
Dignati vestrum jam sustentate parentem.
Tum vero gaudens summam procedit ad aram,
Atque Deum supplex per plurima vota precatus,
Ceu mirabilium species pulcherrima rerum
Rideat ante oculos: Quae nos arcana manebunt
Fata, inquit, comites? prior haec venerabilis ara [15],
Quae mensa e ligno sacram curvatur in arcam,
Quam supra toties caelestis victima Christus
Nostris mactatus manibus, venerabilis ara
Et regum furiam, et populorum proteret aestus.
Christiadûm pietas primi decora inclyta cultus
Perpetua efficiet. Quando Deus omnia caelo
Digerit in melius, sponsamque tuetur amatam,
Pontificalem aram seros servabit in annos,
Qua super incumbens (tanta est reverentia sacris)
Romanus Senior solidum bis terve per annum
Concelebret. Simul haec memorans vestigia torquet,
Et capitolini subter fastigia montis
Invisit sedem. Terris migrare relictis
Magnanimus nequiit Senior, nec pignus amoris
Perpetuum, Narcisse, tuis concedere tectis,
Tempore quae primo sacris patuere colendis.
Nocturnus quamvis et inexpectatus iniret,
Ilicet ingenti domus omnis murmure gestit:
Ille statim incauto jussit cessare tumultu,
Et Dominum amplexus: Narcisse, extrema propinquant
Tempora; nunc furtim caros abiturus amicos

Alloquor, et sanctas venio oraturus ad aras.
Dum gemitum ingentem percusso e pectore ducunt
Narcissus, sociique, Parens altaria ad ipsa
Procubuit, geminatque preces, Romamque domumque
Commendans: sancto tum vultum affusus amore:
Da, Pater, ut terris quae vota novissima fundo,
Prosequar exceptus stellata tutius aula.
Haec ait assurgens. Mox rursum amplexus amicos:
State, viri, potius tristi sed tempore vestris
Indigeo precibus; caelestem orate Parentem,
Ut reliquum quod restat iter, decurrere donet
Ocyus, et tandem tutam contingere metam.
Exin Janiculi clivum, sedemque petebat
Lucinae. Illa quidem quantocyus affore Patrem
Praenôrat, longasque moras, noctisque tenebras
Permetuens, sancto orabat semota recessu,
Cum Pater ingrediens, famulisque silentia mandans,
Improvisus adest, sanctamque irrumpit in aedem.
Sustollit Matrona oculos, summumque stupescens
Cernit Pontificem. Linguis animisque faventem
Ille videns, prohibensque preces turbare silentes,
Procidit ipse etiam, et sanctas dedit ore loquelas.
Tum vero loculis sese motare reclusis
Conspicit extemplo cineres: summa ilicet ara
Ipsos Caelicolas inopina luce micantes,
Et fortunatas, victorum praemia, palmas
Monstrantes, caro, ut quondam, arridere parenti
Vidit, et aetherei hortantes ad gaudia regni.
Solvitur in lacrymas Petrus, et vox excidit ore:
Jam vos portus habet: me dira per aequora turbo
Versat adhuc. Per ego vobis quae prima reclusi

Atria Christiadûm, sacra Baptismatis unda,
Per Jesu qui illexit amor, vivosque decoris
Ornavit factis, lethique sub ostia ducens
Texuit aeternam caelesti in sede coronam,
Natos oro Pater: vestro succurrite Patri.
Natorum exemplum merear servare. Profatur
Talia Christiadûm Rector, cum visa repente
Vanuerunt. Primo tum sole redibat ad antrum,
Et socios iterum complectebatur amatos.
Tum vero Caesar dio tumefactus honore
Captivi meminit Petri: pejora timenti
Haud visum foedare recenti sanguine Romam.
Ergo Judaeae graviora negotia tractans
Cum sociis: Mamertino jacet abditus antro,
Tigelline, inquit, judaei causa duelli.
Nunc velit imparibus mecum concurrere fatis
Semivir Hebraeus? mediis in millibus ipsum
Unum pertimeo: magnae spes altera Romae
Fertur: sacrata fulgens in veste Sacerdos
Uno confidit caelo et caelestibus armis.
Namquae militia est isthaec? Dum mota tumultu
Ardescit Judaea novo, mihi magna cupido
Viscre Pontificem vultu, et cognoscere coram:
Adveniat: quidnam Romae praesentius ausit
Captivus? latia pro majestate timendus
Occurram: videat me insignia mille gerentem
Romani imperii (toto quid majus in orbe
Sol videt?): Hebraeus pedibus procumbere nostris
Respuerit? Tectum hoc centum sublime columnis,
Quo demum coluit Roma obstupefacta Neronem,
Caelicolis dignam hanc sedem contemserit ipse?

Sic ait exultans: solio consedit in aureo
Arduus, augusta comitum stipante corona:
Jupiter haud aliter sedet omnipotentis Olympi
Culmine, Moeonidae veluti mens ignea finxit;
Considunt Superi concessis sedibus; omnes
Caelicolas superat divûmque hominumque Creator,
Et subter maria inspectat, terrasque jacentes.
Densa thronum augustum cingunt subsellia: toto
Vertice conspicuus supra est Nero: tegmina vestis,
Et solii sedes gemmata luce coruscant.
Demens qui ingenti comitatu dives, et omni
Splendore imperii, solida de mente potentem
Christiadûm patrem praevertere posse putabat!
  Ecce autem Mamertini penetralia adibant
Missi lictores; Romam secreta latere
Consilia excupiunt, popularis murmura motus
Vitantes, odia Hebraeûm turbasque timentes;
Et medium amplexi Petrum, mandata Neronis
Significant, properantque una contendere ad aulam.
Ut stetit ante thronum manicis devinctus ahenis
Christiadûm Pater, ut proceres senioris honesti
Exuvias cernunt laceras, macieque suprema
Squalentem faciem, vitaeque extrema trahentem;
Ingens fit strepitus tectis, turpesque cachinnos
Ingeminant, capitique sacro convicia miscent.
Ad terram Ipse gravis caelestia lumina torquens,
Expositus manet: at miserae ludibria gentis
Hauribat, Jesum oranti bene pectore dicens,
Quod sancto liceat pro nomine ferre nefastae
Poenam ignominiae. Ridens huc detulit, atque huc
Ardentes oculos Princeps: mox fronte severa

Dissimulans: Hebraeum, inquit, ne temnite regem.
Dic age, quid Romae et nobis Judaea minatur
Bellipotens? Solymae deceat concedere primas,
Victaque Jordani famulabitur unda refusi
Tibridis? Ast olli sedato rettulit ore
Pontificum Senior: Mitte hanc de pectore curam;
Improba gens Judae caeco inflammata furore
Messiam, caelo optatam qui ferre salutem
Venerat, infami suspendit robore Jesum:
Et nunc ipse Deus romana exuscitat urbe
Praevalidas acies: comitabitur ipse nefastam
Contra Jerusalem ulturus tot crimina. Gentem
Ne paveas, Princeps, Judaeam. Numne timebo
Christiadas? Nero respondit, fremuitque: timebo
Christiadas? repetit: Novi molimina cuncta,
Et quos horrendos nocturna per orgia coetus
Jungitis, ut totam liceat subvertere Romam.
Haec novi. Senior pacata mente secutus:
Nostin'? sed nôsses porro me incumbere in unum,
Ut nova progenies mutato more resurgat
Et virtute nova: nôsses, quod nocte dieque,
Suppliciter tristes pro rerum principe, pro te
Vota Deo ferimus, faustissima cuncta precati.
Quis Deus? ille autem solita feritate tremendus:
Nullus in orbe Deus, nisi Caesar: nota patescit
Proditio; nostros poscit Deus alter honores?
At non ventosae patitur perjuria linguae
Grandaevus Senior: totus pro numine laeso
Turbatur: monstri scelera execratus iniqui,
Siquis adhuc errat moribundo spiritus ore,
Colligit, inque Dei extremum profundit honorem:

Tene Deum fingis? perituro e pulvere natus,
Mox et in exiguum rediturus pulverem, et acre
Judicium, et summi subiturus vindicis iram,
Tene Deum fingis? quae te dementia cepit?
Audi, Romane, haec audi: tua facta latebunt
Fors homines: cernentem abscondita cuncta nequibunt
Effugisse Deum: fratres matremque necâsti:
Caedibus innumeris clarissima lumina Romae
Ultro extinxisti: per cuncta opprobria caecam
Corrupisti urbem. Tua quidnam liquit inausum
Effera saevities? per septem incendia luces
Cum strepitu glomerare, atris tumulare ruinis
Quae te progenuit, speravitque omnia laeta,
Conspexti patriam: et delectam crimine gentem
Incusas? Princeps, scelerata opprobria caelo
Vim faciunt; stat numen adhuc placabile: seram
Distulit Omnipotens damnato a vertice poenam.
Nî te poeniteat, nî publica damna nefasti
Exitii repares, extremos nuncio casus:
Omnipotente Dei correptum fulmine cerno
Teque urbemque tuam. Ingenti formidine totus
Contremuit Nero; compressis vox faucibus haeret.

Humanae gentes nullo rectore vagatae
Hactenus, ad Tiberim cupidas convertite mentes [16].
Et justum, et verum, quae mens optatque voluntas
Assiduis desideriis, quae sola serenam
Coetibus humanis poterunt monstrare quietem,
Jamdudum alternae fuerant ludibria sortis,
Et nunc primorum imperio cessere potenti,
Et nùnc calliditas nebulis obduxit iniquis.
Jam tandem in terris suprema est orta potestas

Quae jus atque nefas norma discriminat aequa.
Terrenosque apices supra, supraque potentum
Arbitrium tutela incorruptissima stabit:
Nec parcet verbis, si verum quando negabunt,
Si justum vires imae summaeque refringent;
Damnabitque reos, debellabitque superbos.
Dum Romae violens, et sola potentia regnat,
Romanae frontes trepida formidine quassae
Abjecere humiles sese, coramque Nerone
Obstupefacta manet generis nativa facultas
Humani, magno Senior venerabilis ore
Fulminat indignum: veri justique ministra
Extabit nullis vox immersabilis undis.

Nec minus excussi, servilia corda, ministri
Vocibus arcanis steterunt. Natura priores
Aversata vias, digito signata supremo
Humano delere nequit vestigia corde;
Et simul altitonans veri vox personat, imas
Conscia per fibras divina movetur origo;
Monstratisque videns scitis errâsse, satorem
Fassa Deum, ignoti praesentit Judicis iram,
Ultoremque timet. Nequissima terruit aula
Romanum imperium, at supremam territa vocem
Audit Pontificis: tanta est praesentia veri!
Vix animis rediit fiducia prisca resumptis,
Helius et Tigellinus rapuere tacentem
Pastorem, et foribus procul extrusere tremendis.

Parte alia Patris Romanam adventus ad aulam
Christiadûm extemplo sacrata per agmina fertur,
Turbatique animi. Dubiis Ecclesia justis
Haerebat trepidans, cunctisque e finibus urbis

Ibat luctisonus pro Petro clamor ad arces.
At proceres magni, quo coepta neronia vertant,
Haudquaquam dubitant, et fors graviora tremiscunt.
Praecipue Linus, et Clemens, et Cletus in unum
Compulsi, longe patris vestigia euntis
Servantes, ipsum summam comitantur ad aulam,
Amotoque loco, congressus omina tanti
Expectant, fletusque cient, Jesumque precantur.
Atticus Antistes tenebrosum ingressus in antrum
Visebat Paulum, consolaturus amicum,
Et dum se vario ancipites sermone levabant,
Successus rerum ingentes causasque volutans
Tarsensis: Quae mira, inquit, spectacula, Pastor!
Effigies, imo umbra aevi malefirma caduci
Stat coram, atque novi fundator maximus orbis!
Ergo caesarea jam formidamur in aula
Doctrina et numero? satis hoc: quod quaerimus unum,
Gloria divini clarescit ubique magistri.
Dura quidem nobis, sed non ignota minatur
Ethnica saevities. Crebro teterrima bella
Praemonuit Jesus, sumus et bellare parati.
Talia volvebant comites, sed Petrus ab aula
Turbata victor foedum remeabat ad antrum.
Et gradiens circumstantem mollire maniplum
Prudens quaerebat: Nostri gens nescia nostrum
Persequitur nomen, nobisque haec praemia reddit.
Quae vobis dico, sociis vos dicite cunctis.
Quod captare feror ventosae murmura famae,
Et plebem miseram nocturno avertere coetu,
Atque mihi imperium, fascesque et poscere regnum,
Credite, vaniloquas dictat fallacia voces.

Christiadae Romam contra, contraque Neronem
Nil conjuramus; Christi documenta docere,
Falsorumque Deûm eversis altaribus, uni
Qui caelum Deus, et terras atque alta creavit
Aequora, nos petimus male raptos reddere honores.
Talia vadebat memorans, ipsumque loquentem
Mirantur primique duces, miratur et ipse
Miles: Tanta seni virtus! stat vertice in uno
Tantum consilium! regalem accivit ad aulam
Ipse Nero, atque loquente ipso tremefactus inhaesit!
Armorum strepitum interea, longoque fragore
Commixtas voces foribus resonare propinquis
Captivi attoniti audierunt, tacitique stetere,
Augurio tristi; mox aera micantia cernunt
Horrendamque aciem vasta se mole moventem.
Et mox aerisonae stridenti cardine portae
Increpuere: Petrus squalentia tecta revisit:
Ac veluti, nocte extrema, cum sidere nimbus
Abrupto incubuit pelago, subitumque minatur
Exitium, horrescunt nautae, dubitatque Magister,
Si superante salo, Boreae vis incita navim
Impulit in portum, et vicinae nuncia lucis
Aurora emicuit, converso gaudia luctu
Exhilarant nautas; versae sic omine sortis,
Laetitia ingenti totum circumsonat antrum.
It plausus caelo: obtutu sed constitit agmen
Ante fores tacitum, subitoque calescere fletu
Lumina visa pio: quis certum avertere posset
Exitium capiti nulla ob commissa merenti?
At Rex Christiadûm media inter gaudia Paulum
Aetaeumque vocans, Pastoribus oscula libat:

Nec frustra fuit hic regalem adventus ad aulam,
Credo equidem, o comites: vix fatur, jamque repente
(Sive ducum fuerit pietas, seu militis ardor,
Nescierim) juvenes, fidissima pectora, terni,
Terni pastores Romae, latebrosa penetrant
Ostia, et effusi pedibus jacuere sacratis.
At Petrus exultans, coetu exultante, receptus
Continuo sequitur: Veteris dementia mundi
Venit ad extremum. Postquam caelum, atque jacentes
Terras, atque salum deinceps sua numina fecit
Terrigena insanus; postquam virtutibus, atque
Constituit vitiis obscoena altaria, divosque [17]
Et mala, ne noceant, bonaque ipsa juvantia fecit;
Coenoso sese totum nunc gurgite mergit,
Seque Deum, proh! turpe nefas! confinxit eumdem.
Flagitium anne animo poteram perferre quieto?
Spiritus Omnipotens ipsa me detulit aula,
Spiritus audaci Omnipotens non defuit ore,
Eloquiumque dedit: caelesti fulmine tactus
Contremuit Caesar, turbatique ilicet omnes
Aulai proceres. Tibi sed, Jesu optime, Jesu
Magni auctor facti, quod me dignatus in aula es
Causam orare tuam, justas exolvere grates
Non opis est nostrae. Damnantem opprobria saecli
Eja age, da vocem tota innotescere Roma.
Roma recognoscat, nisi Te Flamenque Patremque
Praeterea nullum esse Deum. Domus assonat omnis
Plausibus innumeris iterum, comitesque potentem
Stipant Pontificem, totque inclyta facta stupescunt;
Et Paulus : Certe turbata exibit ab aula
Fama isthaec rerum, et cunctis memorabitur oris

Nobile propositum, miraeque audacia vocis;
Et magis atque magis Jesu mirabile nomen
Clarescet, veroque Deo nova gloria stabit.
At Linus et Cletus defixi lumina moestis
Haerebant animis. Et primus rumpere vocem
Composito Aegystus: Secreti abscondita cordis,
Maxime Pontificum, nunc tandem expromere cogor.
Cerno equidem, propius portendunt omnia lethum.
Jamque, age, quid cessas? potes his evadere vinclis
Confestim, atque fuga tutam servare salutem.
Ipse libens pro te bellum crudele paciscor.
Oblata obstupuere ducis, tantumque caducae
Projectum vitae, et patriae caelestis amorem
Collaudant. Tunc unum omnes circumdare Petrum,
Ut se praesenti vellet revocare periclo.
Ille quidem extremae sibi adesse novissima vitae
Tempora cognôrat. Tantos finire labores
Excupiens, speransque necem superesse propinquam,
Exilit, et: Quidnam mortales amplius horas
Demoror? afflictus luctu caecisque tenebris
Hanc vitam eduxi: de me, Rex maxime caeli,
Sit quodcumque jubes, fiat tua magna voluntas.
Acrius instabant comites, lacrymasque ciebant.
Tum vero Paulus rebus fidentior arctis:
Ast ego, si tecum exactae concordia vitae
Forsan liberius fari, Pater optime, linquit,
Non ego laudàrim magno in discrimine talem
Lucis contemptum. Poterunt Cletusque Linusque,
Ipse etiam potero mediis me offerre periclis.
At tibi, cui totus modo conditus imminet orbis,
Horrida dum ingenti tot rerum adversa tumultu

Concurrunt, sanctamque petunt evertere molem,
Non his consiliis, nisi res tempusque requirant,
Arbitror utendum. Nec ego jam plura profabor,
Nec monitoris eges. Nonne in montana refugit
Jesus, certa olli cum nondum venerat hora [18]?
Ipse fuga sibi consulere, et vitare pericla
Omnibus edixit: te sponte ipse hostibus offers?
Quid si te Jesus graviores ferre labores
Maluerit? quid si toto truculentius orbe
Insurget bellum? Tecum meditare parumper
Commune exitium. Haud credo sine numine ductor
Pandit magnanimus squalentis carceris umbras.
Te serva. Nos hic pro Relligione nefandus
Repperiet Caesar quaecumque ad jussa paratos.
Tarsensis tanto perculsus flumine linguae
Restitit Antistes. Sese advolvere sacratos
Ante pedes socii, et lacrymis, precibusque fatigant.
Ille tamen tacitus manet, atque oblata volutat,
Lumina mox caelo tendens palmasque supinas:
Consiliis non ipse tuis obstare requiro,
Jesu, quantalibet neque pro te ferre recusem.
Quod mihi cumque paras caelo, nil demoror, adsum.
Ast ego, dum reliquae concesserit hora diei,
Oratum pergam, o socii: discrimine tanto
Auxilium precibus vestro implorate parenti:
Vos prima hic nocte opperior. Dispescitur agmen
Interea: tristes versantes pectore curas
Nunc fletu indulgent, et nunc certissima sperant
Effugia, et latium praeda fraudare tyrannum:
Et spes, atque dolor diverso illabitur aestu.
Sic Messanae inter Rhegique incerta recursant

Aequora commoti fluctus, refluuntque fluuntque,
Et condunt varia reteguntque aspergine littus.
  Parte alia Petrus tristi desertus in antro
Rem secum movet ingentem: Mihi magna cupido
Martyrii incessit: caeli vox certa vocârit,
Ceu decet, aut fastu praeclarum nomen inani
Excierit mentem? Quid si vis tramite nostra
Deficit in medio? si me sublime moventem
Sponte mea, ipse Deus male coeptis deseret orsis,
Deferor in praeceps: per me tunc fracta labascet
Gloria Christiadûm? quae rerum opprobria cerno?
Talibus horrentem gravior mox cura remordet,
Intentatque metus: Lethum crudele subibo:
Pax mihi secura, et requies optata laborum
Morte mihi veniet; porro quae turba malorum
Pastore occiso, totum vastabit ovile!
Me tangit modo cura mei? tot tantaque turbant
Incerta irrequietum animum: qui nulla pericla
Praemetuit sibi, nunc caro formidat amore
Christiadûm, objectos duris quos casibus ipse
Desereret certa viduatos voce magistri.
At mox divini certissima jussa Parentis
Menti obversantur: Si vos inimicus in urbe
Persequitur vestra, fugientes altera servet
Vos regio . . . Quid agam? certo me offerre periclo
Ausim? mentis inops, animique ad triste parabor
Supplicium, nec adhuc caeli mihi certa voluntas?
Praeterea justo Romana Ecclesia fletu
Me contra inclamat? Nihil, o Jesu optime, quaero
Ipse mihi: quos deinde jubes, non ulla laborum
Est nova mî facies. Romana Ecclesia poscit:

Perque novos casus, nova per surgentia vadam
Aequora? parebo dictis, certamque salutem
Anquiram. Sic ille suo jam pectore certans,
Festinam celerare fugam, atque excedere caeco
Carcere, seque putat rebus servare secundis.
Jamque pii comites redeuntes vespere sero
Ipsum sponte sua inveniunt ad cuncta paratum.
Ostia magna domus pietas operosa recludit:
Ipse fugit, sequitur fugientem cetera turba.
Securaque petunt Pastorem abscondere sede.
Moenibus egrediens Romae, portamque Capenam
Exuperans, tacite passus tendebat anhelos,
Plautillae hospitium quaerens, hortosque latentes
Tiburis, et tutae jam nota sacraria sedis.
Venerat effugiens, qua lubricus influit Almon [19]
In Tiberim, et nomen magno confundit in amne;
Purpurea fulgens Cybeles qua in veste sacerdos
Et sacra et dominam roranti perluit unda.
Avertit senior foedo vestigia templo.
Jamque fuga dubiae casus evaserat aulae,
Solvebatque tibi, caeli Rex maxime, grates,
Ecce autem trepidas manifesta luce per umbras
Obvius occurrit Christus, dextraque prehensum
Continuit. Crucis ille grave et venerabile robur
Fert humero, et roseos concreto sanguine crines
Vulneraque illa gerit, quae sancto multa ferebat
Corpore, conscendens funesti culmina montis.
Terrificat comites novitas inopina: sed ipse
Restitit insolito praesertim numine Petrus:
Jamque videns totum undanti manare cruore:
Quo, Domine, exclamat, vadis? cui talia fanti:

Pro te funerea suspendier arbore rursus.
Dixit, et in tenues ablatus vanuit auras.
Agnovit Petrus, quidnam portenderet ingens
Prodigium, talique abeuntem est voce secutus:
Anne ego te fugiam, Jesu? quocumque vocabis,
Adveniam. Suprema mihi jam volvitur hora,
Qua fidei promissa meae cum sanguine solvam.
Accipio monitus, iterumque horrentia lustra
Carceris obstrusi repetam; instaurabo potenter
Praelia, Christiadûm occurram imperterritus hosti.
Jamque adeo, dum certa patent oracula caeli,
Continuo Senior dirum remeabat ad antrum,
Exultansque animo factum mirabile narrat.
At vos, o socii, nihil est, quod obesse paratis
Caeli consiliis: vestrum circumdate Patrem,
Laetitiae vos ipse meae sortisque beatae
Participes cupio. Quamvis nova verba dolenti
Accipiunt animo (neque enim assuetudine longa
Orbari, auxilioque patris sine vivere sperant),
Pontifici nova fulgenti pulcherrima vultu
Majestas facit obsequium. Jam jamque propinquae
Devotum morti pro Relligionis honore
Suspiciunt, diumque aliquod super ora ferentem
Indicium caeli submissa fronte verentur.
Talia sed dulci versantes gaudia corde
Nuncius horrificus turbat: rauco ecce fragore
Carceris aerisoni patuere ingentia claustra:
Ingreditur lictor, tristique haec nunciat ore:
Christiadûm regem Petrum, comitemque sequacem
Tarsensem Paulum Nero Caesar crimine mortis
Damnat, despecta pro Relligione Deorum.

Crastina mane novo spectaverit hora peremptos.
Captorum extemplo gemitus fratrumque dolentum
Decretum sequitur: lacrymis sed Petrus obortis:
Da, Jesu, auxilium, et patiar tecum omnia laetus.
At Satanas frontem tetro fulgore malignam
Explicuit, turpique movens foedum ore cachinnum:
Vici, inquit, tandem. Mihi sese opponere dudum
Christiadae, dubioque audent contendere bello,
Quem tremuit supera quondam concussus in aula
Omnipotens? centum ipse acies per summa ruentes
Sidera terrificans in aperta pericula misi.
Nunc fandi fictor, judaeae proditor aulae,
Torpentis stagni nunc vili ejectus ab alga
Piscator, praestare gradu, et superare putabant?
Occubuit tristi confixus monte Magister:
Christiadûm ille auctor, Christi ille vicarius (audet
Talis jactari) funesta morte peremptus
Concidet, alitibus miseranda rapina nefastis.
Huc socii properate, mei munimina regni,
Quicumque occidui, quicumque tenetis eoi
Imperii sceptrum, nostros celebrate triumphos:
Ultrices animas fuso exhilarate cruore.
Sic ait, et rauco per inania lata fremore
Perstrepere auditae repetito verbere pennae:
Pestibus ipse Deus stygiis praevertere donat
Nimbos praecipites. Dementia caeca! triumphos
Tartareos poenis credunt spectare paratis [20]:
At nova suppeditant ultro incrementa triumphis
Christigenûm, gliscetque potens Ecclesia Christi.
Taenariis instincta minis, gravibusque coacta
Imperiis acies toto remeabat ab orbe.

Mandârat Satanas commissae assistere luctae,
Insidias struere, et studiis discordibus urbes
Miscere, et contra delectam accendere prolem.
Exploratores, teterrima turba, redibant:
At quam tristitiam, dira quem fronte pavorem
Palantes referunt! Canis ut pecuarius olim
Quem pastor vacua nequicquam voce latrantem
Percussit saxo immani; cauda ille remissa
Exululans fugit, et silva se abscondit opaca.
Nec coram veniens livoris signa nefandi
Dissimulare valet Moloch, praetentaque tela
Se contra conversa gemit, duplicatque furorem:
Ecquid adhuc, Rex magne, manet? quae dira venena,
Noxia quae furta, aut alias meditabimur artes?
Heu! nil profuerunt tenus hac asperrima bella.
Caeduntur pauci, turba infinita resurgit.
Ac velut aestate in media si decidit imber,
Arida nativas tellus super egerit herbas,
Plurima succrescit fuso sic sanguine pubes,
Adversos mirata duces, animasque superbas.
Excindenda hominum porro vis funditus omnis,
Nì forte ad stygias melius remeare lacunas.
At nos terrarum immensum lustravimus orbem.
Vidimus (heu! major nostris vis nisibus obstat)
Perque omnem Europen, Asiamque atque Africa regna
Hac viduas squalere aras, hac templa jacere
Nota Erebo quondam, et simulacra ejecta deorum.
Vidimus hac illac centum resonare canoras
Ore tubas, nobisque inimicum pandere verbum
Caecigenis populis, et ubique nitere recentis
Relligionis opes. Quin toto audivimus orbe,

Ante tuos oculos, Romae intra moenia sedem
Ipsius imperii vaticana arce locatam,
Et bellatores forti statione tenere
Occulto alterius surgentia moenia Romae.
Infremuit Satanas: sua cernit inania tela:
Ecquidnam Simon sperata profuit arte?
Attamen occasum excidio solatur iniquo
Christiadûm. Cernit conjectum in vincula tandem
Pontificem invisum; gemitus, suspiria cernit
Electae stirpis: dispersum credit ovile:
Omnem progeniem tumulandam funere in uno
Sperat, jamque ferox obnixo pectore versat
Consilium, innocuam cum fama extinguere vitam.
Bile nova fremit, et solito turgentior: An vos
Mutatos, inquit, video? nos horrida fata
Fata premunt eadem: nec quid sperare licebit:
Et seu tartareae obseptos tenuere lacunae,
Sive per aetheream, pennis trepidantibus, auram
Efferimur; diro non eluctabile morsu
Supplicium insequitur, manet implacabilis hostis.
In me sed quamvis viduaverit ipse pharetram,
Non me poeniteat facti, neque victus abibo.
Oderit ipse licet, neque ego minus odero: pejus
Anne aliquid reperire queat phlegetonte recluso?
Anne inimicam aciem omnino delere parabit?
Et faciat: nonne in nihilum jam posse reverti,
Optandum potius, quam diram vivere vitam
Servitio immiti? At nobis si vita cruentis
Dilaceranda malis, immota, aeterna manebit,
Et nobis immota stetit stabitque voluntas,
Quos sua parturiit fructus victoria, passim

Turbare aut saltem injecto vitiare veneno;
Et quas sidereo complere sedilia caelo
Destinat ipse animas, nobiscum in tartara ferre.
Ast ego furta paro belli graviora: quietis
State animis: mamertino Rex carcere clausus
Ille jacet: capto dum fracta in pectore virtus
Languescit, nostras poterit vitare sagittas?
Oh! si supplicium, cladernque exinde futuram
Horrescat, pedibusque fugacibus, agmine verso
Deficiens, dubiam satagct reparare salutem!
Rege ipso edomito, cuncti mea jussa subibunt.
Ergo multa movens, loca per nigrantia tardos
Increpitat socios, Stygiaque e sede lacessit
Degeneres curas, si immoto evertere mentem
Proposito posset, coeptosque vetare triumphos.
Segnitie sata monstra, otî blandaeque quietis
Nomine, securae lethaea oblivia menti
Insinuant, suadentque omnes vitare labores.
Lascivae antevenit turbae tentamina tristi
Infectus pallore genas, totusque tremiscens
Artubus obscoenis Timor. In sublimia ferri
Humanum ingenium, atque tuens assurgere in auras,
Quo spes arrectas ingentibus arceat orsis,
Successus ille ancipites, et praelia dira
Aggerat insidians: magno certamine saepe
Luctantem medio linquit victoria cursu.
Spelunca ille cava obscuris sese intulit alis,
Si qua Pontificem specie praevertat honesta.
Ambiguos primum eventus, indignaque monstrat
Supplicia, atque genus lethi crudele nefandi.
At non oblata excutitur formidine Petrus:

Objectis virtus poenis infracta moratur;
Et caelo attollens oculos: Jam parce precanti,
Omnipotens Pater: an tandem commissa piare
Morte obita potero? an tantum cruor iste meretur,
Ut tibi diffusus majori accedat honori,
Ut communi aliquid valeat prodesse saluti?
Jamque tibi ingenti reddo pro munere grates,
Ibo libens. Studio primum delusus inani,
Taenarius ductor, primis labentibus umbris,
Ipse palatini invadit fastigia clivi.
At vix immanem procul apparere cavernam
Prospectat, gravis errantem circumstetit horror;
Anceps jamque diu fremitu obluctatur atroci,
Si fors ulla viam, seu vis adaperta recludat,
Jamque retrocedit. Ceu latro, nocte silenti
Errabundus abit certam exercere rapinam,
At simul ac occlusa domus videt ostia, certos
Vestigans aditus, aciem praesentit adesse
Armatam, extructosque dolos turbare paratam:
Itque reditque viam Satanas, et obambulat anceps.
Non tamen absistit, neque coepta infecta relinquit.
Omnibus insidiis crudeli sternere letho
Pontificem primum petiit; modo poenitet, atque
Conversis jaculis, omni petit arte rebellem
Divinis facere imperiis, victumque timoris
Arguere, indecoremque animam dein tradere morti.
Dividit huc mentem, atque illuc, perque omnia versans,
Pectora simpliciora suo captare veneno
Aggreditur. Simulat verso mendacia vultu.
Concursu ingenti matres, sanctasque puellas
Christiadûm videt aeratos circumdare postes,

Et captum insolabiliter deflere parentem.
Infert se medium: Et miseras succurrere vestro
Quid prohibet patri? manus en scelerata cruentum
Traxerit ad lethum; pietas vos nulla movebit?
Et facilem fortuna viam recludit: amicae
Excubiae poterunt horrendas pandere portas,
Si velit: at precibus fas est inflectere justis.
An vestras, matres, lacrymas, gemitusque piorum
Pastor respuerit? Justus commovit amores
Communes gemitus, confertaque turba tremendis
Irrumpunt foribus. Ferrata repagula sponte
Horribili jacuere sono (recluserat ipsa
Vis stygis), atque imae extemplo patuere cavernae.
Pontificis pedibus sese advolvere sacratis
Matres confestim. Non ulla domestica tecta,
Cum mors instantem genitori nunciat horam,
Majori resonant luctu, si corpore in uno
Plurima natorum manus inclinata recumbit,
Illoque extincto, communis defore vitae
Praesidium metuunt, et spes vanescere cunctas.
At strepitu in magno stabat vultu ipse sereno
Christiadûm Rector, quamvis suspiria, quamvis
Tot lectarum ovium effusae tetigere querelae.
Cum vultu emicuit majestas tanta nitenti,
Compressi subito gemitus, jamque ille profatur:
Anne aliud dare possit homo [1]? mihi porrigit ipse,
Quam peperit mortem: veracis munera vitae
Quam Jesus peperit dira Crucis arbore, Jesus
Apparat, o Nati, vosque invidisse parenti
Tantam laetitiam video? quae me unica, vosque
Unica spes ipsos terrena detinet ora?

Hiccine patris amor? Solemnior hora propinquat:
At vos laetati vestrum circumdate patrem
Sancta laetitia, et certum praevertite caeli
Augurium. Sacras extremum operabor ad aras
Pro Roma; vos mecum animos conjungite vestros,
Ut semper crescens florescat gloria Romae.
Sic ait, et fanti laeto spes ignea vultu
Subridet, caelumque oculis rorantibus ultro
Suspiciens: Mea tandem, inquit, jam vota peracta,
Jesu: teque brevi, duce te, super aethera visam.
Audierunt furtim turbae commixta precanti
Effera monstra Erebi, et vocem pressere pedemque.
Squalida sic quondam Phorcynidos ora Medusae
Spectantes stabant, ipso usu lucis adempto
Mutati in silices. Vitiorum informia monstra
Sacratae vocis fulgorem haud passa minacem,
Obstupefacta manent, primumque erupit ab antro
Confusus Satanas: Quando contraria fata
Obsistunt, vaticanis moriantur in hortis,
Qua comites: at vos totam percurrite Romam;
Lethiferas inferte faces, odiisque cruentos
Inflammate animos. Cum abscisso vertice fusus
Prosiliet sanguis, pedibus calcare juvabit
Tristes relliquias: laniata cadavera caeno
Immundo spargam, magnumque locabo trophaeum.
Ecce autem mamertini via carceris omnis
Assiduo fervet coetu, veniuntque frequentes
Christiadûm proceres pastorem invisere summum,
Eubulus, atque Rufus, Patrobasque, et Asyncritus, atque
Andronicus. Longi spatio neque temporis absunt
Euchaerus, juvenisque Stachys, comitesque Beatus

Cumque Evaristo acer Fridolinus. Ducit Achates
Femineos coetus. Aderat Servilia Virgo,
Juliaque, et nunquam sacros Pomponia ritus
Oblita, et Persis, laribusque egressa superbis
Claudia, quaeque fuit lectissima Olympia matrum.
Lucina ante omnes studio properabat anhelo.
Jesus extremae laetissima tempora vitae
Pontifici facit, atque fugans fastidia, sortis
Conscia mortalis, non expectata reservat
Gaudia, caelestis praesagia certa coronae.
Namque ita provisum, ut portam statione tenerent
Tres juvenes, primo affuerant qui turbine rerum,
Atque in Christiadas animum mentemque benignam
Servabant. Magnam spectans accurrere gentem
Custodes socios sic est affatus Acestes:
Quid facimus, comites? nox opportuna propinquat:
Sunt quos oblitosque sui, oblitosque Neronis
Una viros pietas miseranda sub ostia ducit.
Eccur non capti ipsius miserescimus; atque
Quandoquidem misero suprema supervenit hora,
Cognatis, notisque damus penetrare reposta
Limina, et extremae solamen ferre senectae?
Cui sic Longinus: Facimus pro tempore pauca.
Imo ego censuerim, quando jam plurima caelo
Monstra virum ostendunt clara de stirpe deorum,
Et nos suppliciter tristes veniamus in unum.
Haud ullum porro reor impendere periclum,
Et fiat quodcumque mihi, mors pulchra videtur.
Interea ante fores stabat chorus omnis, et audax
Lucina: illa oculos lacrymis suffusa nitentes:
Dicite, custodes, inquit: fas visere captum?

At, mihi si liceat vultus cognoscere amatos,
Extremumque vale affari, bona multa precabor
Ab domino caeli, qui nunquam oblita relinquit
Praemia virtutis. Respondit pauca Megistus:
Fas equidem; neque si indutos fulgentibus armis
Cernitis, haec vobis inimica amplectimur arma;
Et nos Christigenas miramur, et esse beato
E numero excupimus. Sanctum recreate parentem,
Et nos Pontifici jam commendate volentes,
Et nostrum obsequium certis ostendite signis.
Haec interfantur, primas jamque ecce per umbras
Ingentem numerum comitum affluxisse novorum
Conspiciunt. Pastorem omnes uno ore requirunt,
Cernere Pastorem liceat, sanctasque loquelas
Audire extremum. Stridenti cardine limen
Panditur extemplo, et foedae patuere cavernae.
Namquis tunc animus, Pastorum maxime, namquae
Mens tibi, cum tanto concursu fervere cernis
Ostia foeda domus? Quos laetae fecit amicos
Risus fortunae, simul ac mutata novabit
Ipsa fidem, latere inspectat discedere tecto.
At nullo mutata loco sententia cedit
Christicolis: Deus hunc ardorem mentibus addit;
Fida venit legio, certum sortita periclum,
Adspicere extremum, consolarique jacentem.
Ut squalens patuit tenebrosi carceris antrum,
Utque prope ingenti strepitu, nisuque secundo
Adveniunt, quaenam rerum spectacla novarum
Suspiciunt! incredibilis sed vera tuentes
Proripuit novitas; cernunt, neque cernere credunt
Attonitis oculis. Dio vestita decore

Frons radiat, sanctusque senili effulget in ore
Risus, et insolitae fulgescunt lumine; flammae.
Qui caecis clausum tenebris et carcere foedo
Solari veniunt, moesto solamina luctu
Ipsi suscipiunt, mirandaque cuncta stupentes
Se se suppliciter pedibus Pastoris amati
Projiciunt humiles: pressis vox faucibus haesit.
Quos Genitor cunctos risu benedicit amico;
Surgere jamque jubens lacrymis effatur obortis:
Si nunquam deerit tantae pietatis imago,
Seraque posteritas simili circumdat amore
Pontificem, rectique manet reverentia cultus,
Saeviat invidia indignans licet, atque Acherontis
Conjuret rabies; romana Ecclesia nunquam
Deficiens, victrix aeterno vivet in aevo.

At dum Christicolae, tarpejae carcere rupis,
Certatim laetis ingentia gaudia signis
Concelebrant, misero squalebat regia luctu.
Non impune Nero nomen furabitur ingens,
Immensum, augustum, non enarrabile nomen [22].
Tuque, nitens terras peragrat dum purpureus Sol,
Tartaream nunquam patiere erumpere noctem,
Omnipotens judex: praeeuntem poena scelestum
Raro deseruit, caelestisque aliger aulae
Sparserat hesperias ultricia tela per oras.
Gallia in arma ruit, socioque Hispania motu
Arma fremit: quonam nutans Germania spectat?
Romanas acies validus ciet impetus: orbe
Semoto fessas urbani taedia luctus
Corripiunt, trepidaeque parant succurrere Romae.
Quod conspiratae nequiere extinguere partes,

Exturbare parant solio execrabile monstrum.
Plurima servabit miseram provincia Romam.
Vindicis edictum, et convicia dira volutat
Attonitus Caesar: triviis vaga murmura passim
Audita, atque stetit noctu nota scripta columnae [23]:
Illum jam tandem Galli excivere canendo.
Jurgia cum servis simulant, clamantque rogantes:
Cunctatur vindex [24]? Vix novit talia Caesar,
Semianimis furtim regali effugit ab aula.
Forte via in media monumentum occurrit eunti,
Galli hominis sculpta effigies, quem vulnere diro
Stravit humi romanus eques, dextraque prehensum
Caesarie effusa corpus deforme trahebat.
Oblata specie exiluit, caelique benignum
Omen adoravit, rediensque inopinus ad aulam
Urbis primores adhibet, consultaque quaerit.
Cum prope dejectos speraret ab omine Gallos,
Continuo Galba, et commota Hispania fertur
Descivisse: stetit collapsus corpore toto,
Et sine voce diu. Vix vocem animumque recepit,
Regales scindit vestes et tundit apertum
Saepe caput. De me actum, inquit. Sed nuncius alter
Hesperium totum retulit consurgere mundum
Caesarium contra imperium. Conjungere dextras
Hispanas Gallasque acies, Tiberimque minaces
Spectare. Indignans surgit, scriptasque tabellas
Discerpit, mensamque furens pessumdedit omnem.
Omnibus exclusis, tectis se condidit altis.
Illum purpureis pulcherrima stragula signis
Excipiunt, oculis sed fugit somnus apertis,
Tristiaque exagitant tremefactam insomnia mentem.

Terribiles umbras, Lemurum palantia monstra
Credit circumagi, auratamque obsidere spondam.
Excutitur, gelidoque comae terrore rigescunt,
Ictaque terrifico trepidant dum pectora motu,
Pensilibus totum flammis ardere lacunar,
Perque aedes credit formas volitare minaces.
Exurgit cassus mentis, gladiumque capessit,
Fallacesque acie stricta diverberat ignes,
Vociferans: Nec adhuc, extincte Britannice, cessas?
Nec cessatis adhuc turbare, Octavia conjux,
Agrippina parens . . . Seneca . . ? at vox deficit ore,
Et caput injecto pavidus velamine condit:
Tum vero erigitur, totaque vagatur in aula,
Amens, ancipiti raptus vertigine mentem,
Et clausum virus aurata pyxide volvens.
Ecquid agam? fidas, praetoria signa, cohortes
Excierim? instructam tiberina sub ostia classem
Conscendam? tutamne dabunt maria alta salutem?
An supplex pergam ad Parthos? Galbamque reposcam [25]?
Atratus prodibo forum, veniamque precabor
Exactae vitae? plebem miserescere sperem:
Et si durescent animi, mihi flagito saltem
Aegypti praefecturam. Simul ista frementi
Pectore versabat, mediis simul excitus umbris
Ipse foras exire ausus, veteresque sodales
Ambire, et solus varias errare per aedes.
At clausis foribus nequicquam cognita pulsat
Limina: respondit nemo: mox ipse cubiclum
Assuetum repetit, direptaque stragula cernit,
Custodesque ipsi thalamo fugere relicto.
At subito aggestos videre per aera nimbos

Helius et Tigellinus, monstrosa nefandae
Munimenta aulae; propius videre periclum;
Helius atque prior: Ferimur quo deinde, tuendum,
Tigelline? inquit: si rerum linquit habenas
Sponte sua Nero, si deserta exibit ab aula,
Actum est: nos contra consurget Roma rebellis,
Inque caput nostrum delicta neronia vertet.
Nunc opus ingenio: quando cum mente vigorem
Perdidit omnem animi, secreta lugeat aula
Semivir exanimis: nos priscum ostendere robur
Exterius decet, et nostram servare salutem.
At tu jam tantos, Heli, demitte timores,
Tigellinus ait; nec nôris forte Neronem?
Palluit, et subito genua intremuere timore;
Tantulus at summo maneat si spiritus ore,
Orbis ne imperium, et romanam deserat aulam,
Nequicquam metuis. Stat nostra potentia in uno;
Si cadet, ille dies nos casu involvet eodem.
   Talia moliti summam gradiuntur ad aulam,
Et Tigellinus: Si jam tibi cognita dudum est
Nostra fides, Caesar, tanto discrimine rerum
Liberius fabor. Rerum experientia major
Atque hominum me multa docent: famulumque fidelem
Auscultare licet. Te nosque haec proruet anceps
Formido incautos: tuta nos arce tenemur;
Pro nobis stat plebs omnis, totusque senatus,
Et quae suspectas acies germanica fraudes
Ignorat, porroque ipsam pessumdabit urbem,
Si modo seditio nostra caput efferet urbe.
Adsunt praeterea, quos ipse ad munia prima
Extuleris, qui uno te tantum sospite sperant

Divitias servare suas, partosque triumphos.
Externis video ductoribus altius iras
Infremere: at quidnam dubitas? superare morando
Quibimus: imperii summam sibi quisque reposcit:
Et si paullisper segnes cunctabimur, ipsi
In se pugnabunt, versis discordibus armis.
Jussa aliena pati nemo dignabitur: ipse
Ultor eris. Sic effatur; flens, aeger, anhelans,
Dat gemitum Caesar: Meme jamque omnia, dixit,
Destituunt: mihi nulla salus: sed firmior ille:
Nulla salus? magno se quis conferre Neroni
Audebit? Nempe romana sede sedebunt
Hebraei viles? romanam irrumpet in aulam
Rusticus ille diu nemora inter gallica pastus
Glandibus ilignis, Vindex, immundaque Galbae
Canities [26] toties nostris irrisa maniplis?
Robore te primo, et perfecta aetate vigentem,
Te Graecos supra, egregiae tot laudibus artis
Florentem, te Barbaries quem tota stupescit,
Mirata ingenium, et diae decora inclyta mentis,
Et quem septeno fulgentem vertice sidus
Roma Deum posito veneratur cernua templo;
Ten' video, indigno, Caesar, terrore trementem?
Excutitur Caesar: Men' victa excedere Roma?
Et mihi Roma, inquit, atque haec mihi serviet aula,
Et Nero semper ero. Me impune lacessere nemo
Audebit: jamque ite: metu qui semper inani
Me tenet incertum, qui sese totius orbis
Regnatorem audet misero jactare popello,
Ultima tentantem experiatur cuncta Neronem.
In medio cadat ille die: spectator adesto

Collectus populus: solemnis, publica fiat
Ultio; sic jubeo: horrescat conterrita Roma.
Mox alia et graviora feram. Nec plura locutus
Sepsit se tectis. Jamque omnis personat aula
Clamore horrendo Martis, patuitque tremendum
Decretum, Romaeque canit bella, horrida bella;
Nec trepidum vocat interea ad consulta Senatum.
At memorans esse in fatis, quod Gallia [27] (tantum
Fecerat ipsa metum)! nequeat, nî a Consule vinci;
Consulibus rapuit fasces, dominasque secures,
Consulis ipse vices, et honesta insignia poscens.
Ibo: bellipotens provincia cernet inermum,
Romanas coram audebo spectare phalanges.
Dum supplex adeo, dumque omnia jura resigno,
Arma mihi audebit miles, mortemque minari?
Si videat laetos pacis me ostendere ramos,
Si sibi submissum videat, flentemque Neronem,
Ponet sponte animos, et defecisse pigebit.
Sic secum trepidans, et jamjam certus eundi
Aedificata rapit tercentum immania plaustra [28],
Organa qua veheret, varioque poetica cantu
Instrumenta, lyras, scenaeque insignia mille.
Praeterea eximias praeclara e gente puellas
Eligit, inque modum tonsas, aptasque virilem
Ornat amazoniis peltis, curvaque securi.
Urbanas mox rite tribus in bella recenset,
Sacramenta petens; ipsos mox armat agrestes;
Servilesque jubet dominos armare catervas:
Privati interea census equitesque patresque
Conferrent partes, et vectigalia cives
Externique darent coepti dispendia belli.

N O T Æ.

[1] *Auxiliaribus undis* — Non unis Romanis copiis, sed vicinarum gentium auxiliis confirmatus Vespasianus Judaeum invasit imperium, idque omnes testantur historici. *Sophene*, aut *Sophane* est regio Armeniae Majoris, in conf. Mesopotamiae: populi etiam Sophenae appellantur a Lucan. lib. *I*. *Comagene* etiam dicta Euphratesia est Syriae regio juxta Euphratem. Singula narrat praecipue Josephus, qui, Jotapata munitissima civitate expugnata, captus fuit. Qua excisa, paucisque aliis urbibus ferro flammaque deletis, Victor Romanus Galilaeam provinciam omnium potentissimam, refertamque gentibus robustissimis penitus debellavit, dum Hierosolymitana civitas, mutuo inter se Judaeis civili bello digladiantibus, ingenti domesticorum clade afficiebatur. Quod brevi feliciterque omnia perfecerit Vespasianus, Suet. T. Fl. Vesp. 4. narrat. Ad hunc motum comprimendum quum exercitu ampliore, et non instrenuo duce, cui tamen tuto tanta res committeretur, opus esset, ipse potissimum selectus est, ut et industriae expertae, nec metuendus ullo modo ob humilitatem generis ac nominis. Additis insuper ad copias duabus legionibus, octo alis, cohortibus decem, atque in er legatos majore filio assumpto, ut provinciam attigit, proximas quoque convertit in se, correcta statim castrorum disciplina, uno et altero praelio tam constanter inito, ut in oppugnatione castelli lapidis ictum genu, scutoque sagittas aliquot exceperit ». Haec de Patre Vespasiano habet Suet.; de Filio autem T. Vesp. IV. Ex quaesturae deinde honore legioni praepositus, Tarichaeas et Gamalam, urbes Judaeae validissimas, in potestatem redegit.

[2] *Caesellius* — Tac. XII, 1. Inlusit dehinc Neroni fortuna per vanitatem ipsius et promissa Caesellii Bassi: qui origine Poenus mente turbida nocturnae quietis imaginem ad spem haud dubiam retraxit. Vectusque Romam, principis aditum emercatus, expromit repertum in agro suo specum altitudine immensa, quo magna vis auri contineretur, non in formam pecuniae, sed rudi et antiquo pondere . . . Ceterum ut conjectura demonstraret, Didonem Phoenissam Tyro profugam, condita Carthagine, illas opes abdidisse, ne novus populus nimia pecunia lasciviret. Quid Nero fecerit, et ipse Hist. luculentissime patefacit, 2. Igitur Nero, non auctoris, non ipsius negotii fide satis spectata, nec missis visoribus, per quos nosceret, an vera adferrentur, auget ultro rumorem, mittitque, qui velut partam praedam aveherent. Dantur triremes, et delectum navigium juvandae festinationi, nec aliud per illos dies, populus credulitate, prudentes diversa fama tulere. Idem narrat Suet. XXXI. Ad hunc impendiorum furorem, super fiduciam imperii, etiam spe quadam repentina immensarum, et reconditarum opum impulsus est, ex indicio equitis Romani, pro comperto pollicentis thesauros antiquissimae gazae, quos Dido Regina fugiens Tyro secum extulisset, esse in Africa vastissimis specubus abditos, ac posse erui parvula molientium opera — *Luxurie*

insana. Adeo dementes fuere hae donationes, ut, Nerone defuncto, eas Senatus resciderit — Tac. Hist. I, 20. Cuncta scrutantibus justissimum visum est, inde repeti, ubi inopiae causa erat. Bis et vicies sestertiûm donationibus Nero effuderat. Appellari singulos (Galba) jussit, decuma parte liberalitatis apud quemque eorum relicta: at illis vix decumae super portiones erant, iisdem erga aliena sumptibus, quibus sua prodegerant, cum rapacissimo cuique ac perditissimo, non agri aut foenus, sed sola instrumenta vitiorum manerent . . . Grande gaudium, quod tam pauperes forent, quibus donasset Nero, quam quibus abstulisset — *Sic priscas consumit opes.* Aerarium abligurit: quid inde? Suet. narrat. XXXII. Verum ut spes fefellit, destitutus, atque ita jam exhaustus et egens, ut stipendia quoque militum, et commoda veteranorum protrahi, ac differri necesse esset, calumniis rapinisque intendit animum. Ante omnia instituit, ut e libertorum defunctorum bonis pro semisse sextans ei cogeretur, qui sine probabili causa eo nomine fuissent, quo essent ullae familiae, quas ipse contingeret: deinde ut ingratorum in principem testamenta ad fiscum pervenirent, ac ne impune esset studiosis juris, qui scripsissent vel dictâssent ea: tum, ut lege majestatis facta dictaque omnia, quibus modo delator non deesset, tenerentur. Revocavit et praemia coronarum, quae unquam sibi in certaminibus civitates detulissent. Et cum interdixisset usum amethystini ac Tyrii coloris, summisissetque, qui nundinarum die pauculas uncias venderet, praeclusit cunctos negotiatores. Quin etiam inter canendum animadversam matronam e spectaculis, vetita purpura cultam, demonstrâsse procuratoribus suis dicitur, detractamque illico, non veste modo, sed et bonis exuit. Nulli delegavit officium, ut non diceret: Scis, quid mihi opus sit: et hoc agamus ne quis quidquam habeat. Ultimo templis compluribus dona detraxit, simulacraque ex auro, vel argento fabricata conflavit, in his Penatium deorum, quae mox Galba restituit ». Longiusculi fortasse fuimus, ut impudentissimi tyranni vecordia non a nobis poetice conficta videatur; sed omnes puram putam historiam esse noscant, locupletissimorum testium fide confirmatam.

[3] *Occupat aula* — Sic Suet. Ner. XXXI. Domum a Palatio Exquilias usque fecit, quam primo transitoriam, mox incendio absumtam, restitutamque *Auream* nominavit. De cujus spatio ac cultu suffecerit haec retulisse. Vestibulum ejus fecit, in quo colossus centum viginti pedum staret: tanta laxitas, ut porticus triplices milliarias haberet. Ruinis decem regionum usus Nero immanem adeo domum excitavit, ut totam fere urbem complecteretur. Ille versus indicat:

Roma domus fiet: Vejos migrate, Quirites:
Si non et Vejos occupat ista domus.

[4] *Coercita frenis* — Idem Hist. ib. Item s'agnum maris instar, circumseptum aedificiis ad urbium speciem, rura insuper, arvis atque vinetis et

pascuis silvisque varia, cum multitudine omnis generis pecudum et ferarum. In ceteris partibus cuncta auro lita, distincta gemmis, unionumque conchis erant. Martial. distincte loca ipsa describens: lib. I, epig. II.

Hic ubi conspicui venerabilis Amphitheatri
Erigitur moles, stagna Neronis erant.
Hic ubi miramur velocia munera thermas,
Abstulerat miseris tecta superbus ager.

[5] *Domus aurea* — Tac. XI, XLIX. Ceterum Nero usus est patriae ruinis, extruxitque domum, in qua haud perinde gemmae et aurum miraculo essent, solita pridem et luxu vulgata, quam arva et stagna, et in morem solitudinum hinc silvae, inde aperta spatia, et prospectus. Alibi locum Taciti attulimus Vol. II, lib. 12, not. 40. Quo sive aurum coronarium, sive quod ab Imperatoribus per triumphos illatum, sive illud quod votorum loco in re trepida Senatus Jovi, ceterisque diis voverat, omne in-aureae domus ornamentum traductum indicat. Quid quod ne ipsis quidem numinum simulacris pepercit? Paus. lib. X. Non postremo deûm donaria Neronis impietatem effugere potuerunt. Is enim aeneas quingentas, partim deorum, partim hominum sustulit imagines. Et Plin. lib. XXXIV. clarissima quaeque signorum narrat, violentia Neronis in urbem convecta, et in sellariis domus aureae disposita fuisse. Merito Tac. *domum* vocabat *invisam*, et *civium spoliis extruetam*. Prope Ecclesiam S. Franciscae Romanae, rudera aedificiorum vides, quae mirabilis magnificentiae reliquias praeseferunt. Placuit nonnullis illic vestibulum ipsum aureae domus ponere, eo praecipue quod Palatium spectat.

[6] *Coenacula* — Major ars in coenaculis fuit, de quibus idem Svet. Coenationes laqueatae tabulis eburneis versatilibus, ut flores, fistulatis, ut unguenta desuper spargerentur. Praecipua coenationum rotunda, quae perpetuo diebus et noctibus vice mundi circumageretur — *Altera Roma*. Svet. LV. Multis rebus ac locis, vetere appellatione detracta, novam induxit ex suo nomine: mensem quoque aprilem Neroneum appellavit. Destinaverat et Romam Neropolim nuncupare.

[7] *Albula* —Idem Suet. Balineae marinis et albulis fluentes aquis. Apud Tibur aquarum Albularum origo est quae veneratione quadam a priscis Romanis habitae, ut *aquis albulis sanctissimis* litaretur. Illic et Cybelis templum, et thermae sumptuosissimae fuere, cujus structura Agrippae ipsi tribuitur.

[8] *Domum*—Suet. ib. Ejusmodi domum cum absolutam dedicaret, hactenus comprobavit, ut se diceret quasi hominem tandem habitare coepisse.

[9] *Hydraulica* — Suet. XLI. Transactaque raptim consultatione, reliquam diei partem per organa hydraulica novi et ignoti generis circumduxit, ostendensque singula, de ratione ac difficultate cujusque disserens, jam se etiam omnia prolaturum in theatrum affirmavit. Et LV. Sub exitu quidem

vitae palam voverat, si sibi incolumis status permansisset, proditurum se partem victoriae ludis etiam hydraulam, et choraulam et utricolarium, et novissimo die histrionem, saltaturumque Virgilii Turnum.

[10], [11] *Testas*—Id Neapoli evenit. Suet. XX. Captus autem modulatis Alexandrinorum laudationibus, qui de novo commeatu Neapolim confluxerant, plures Alexandria evocavit. Neque eo secius adolescentes equestris ordinis, et quinque amplius millia e plebe robustissimae juventutis undique elegit, qui divisi in factiones, plausuum genera condiscerent (*bombos, et imbrices, et testas vocabant*) operamque navarent cantanti sibi, insignes pinguissima coma, et excellentissimo cultu pueri, nec sine annulo laevis: quorum duces quadragena millia sestertiûm merebant — *Magistros*. Suet. Magistros toti certamini praeposuit consulares sorte, sede praetorum.

[12] *Fastigia* — Tac. XI, LXXIV. Reperio in commentariis Senatus Cerialem Anicium, consulem designatum, pro sententia dixisse, ut templum Divo Neroni quam maturrime publica pecunia poneretur. Quod quidem ille decernebat, tanquam mortale fastigium egresso, et venerationem hominum merito: quod ad omina olim sui exitus verterentur; nam Deûm honor principi non ante habetur, quam agere inter homines desierit.

[13] *Ezechiel*— Cap. XXXVI, 5. Ossa arida, audite verbum Domini. Haec dicit Dominus Deus ossibus his. Ecce ego intromittam in eos spiritum, et vivetis. Et dabo super vos nervos, et succrescere faciam super vos carnes... factus est autem sonitus, prophetante me, et ecce commotio . . . et ingressus est in ea spiritus, et vixerunt, steteruntque super pedes suos exercitus grandis nimis valde —*Italia*, *ostentans*. Ibi enim sedebat ille de quo Petrus ipse 2. Epist. 1. Non doctas fabulas secuti notam facimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem et praesentiam . . . Hanc vocem nos audivimus de caelo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto: et habemus firmiorem propheticum sermonem: cui bene facitis attendentes, quasi lucernae lucenti in calginoso loco, donec dies elucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris.

[14] *Bartholomaeae* — In majore Armenia passum refert Martyrol. Et lect. 24 Augusti sic ejus narratur interitus. Polymium regem et conjugem ejus, ac praeterea duodecim civitates ad Christianam fidem perduxit. Quae res in eum magnam invidiam concitavit illius gentis sacerdotum. Nam usque adeo Astyagem Polymii regis fratrem in Apostolum incenderunt, ut is vivo Bartholomaeo pellem crudeliter detrahi jusserit, ac caput abscindi: quo in martyrio animam Deo reddidit.

[15] *Venerabilis ara* — In lateranensi Ecclesia servatur, in altare Confessionis, ubi cetera inter sanctorum lypsana, Pauli, et Petri capitis fragmenta servantur. Sed altare ipsum aliud interius tegit, quod illud creditur de quo nos loquimur. Cum Sacrosancta Lateranensis Ecclesia omnium urbis, et orbis Ecclesiarum mater et caput habeatur, religionis ergo, super hoc altare nemini nisi Pontifici romano sacris operari licet.

[16] *Nullo rectore vagatae* — Haec est Romani Pontificatus institutio, ne jus fasque humano iterum arbitrio pervertatur; sed immutabile, sicut auctor Deus, inter humanarum rerum vicissitudines permaneat. Si totius Ethnicismi annales evolvimus, humanum intellectum cupiditatis et phantasiae arbitrio famulatum esse continenter quisque viderit. Hinc extra Mosaicam legem, tot fabulae, tot execranda mendacia, tot errorum monstra, quibus illa ipsa antiquior hominum mentibus inscripta lex caliginosis nubibus inquinata. Quid oravit Christus Patrem (sic August. de Corrept. et Grat. cap. VIII) nisi ut haberet Petrus in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem? Et Irenaeus lib. III, advers. haereses: Non oportet, inquit, adhuc quaerere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere, quum Apostoli, quasi in depositorium dives, plenissime in eam contulerint omnia quae sunt veritatis, ut omnis quicumque velit, sumat ex ea potum vitae. Haec est enim vitae introitus: omnes autem reliqui fures sunt, et latrones. Sed Leonem magnum audiamus, qui Romae natus, romanas glorias uberiori oratione prosequitur in Solemn. Apost. Deus bonus et justus et omnipotens, qui misericordiam suam humano generi nunquam negavit, omnesque in commune mortales ad cognitionem sui abundatissimis semper beneficiis erudivit, voluntariam errantium caecitatem, et proclivem in deteriora nequitiam, secretiori consilio et altiori pietate miseratus est, mittendo Verbum suum aequale sibi atque coaeternum. Quod *caro factum* ita divinam naturam naturae univit humanae, ut illius ad infima inclinatio nostra fieret ad summa provectio. Ut autem hujus inenarrabilis gratiae per totum mundum diffunderetur effectus, romanum regnum divina providentia praeparavit, cujus ad eos limites incrementa perducta sunt, quibus cunctarum undique gentium vicina et contigua esset universitas. Disposito namque divinitus operi maxime congruebat, ut multa regna uno confoederarentur imperio, et cito pervios haberet populos praedicatio generalis, quos unius teneret regimen civitatis. Haec autem civitas ignorans suae provectionis auctorem, cum pene omnibus dominaretur gentibus, omnium gentibus serviebat erroribus. Unde quantum erat per diabolum tenacius illigata, tantum per Christum est mirabilius absoluta.

[17] *Divosque*—Cum consummata fuisset hominum praevaricatio, justitia sempiterna eluxit. Anne major iniquitas excogitari potuisset, quam ut homo se Deum effingeret? Idque imperatores Romani, et praecipue Nero quaesivit. Quoniam maledictum est, ut ait Tertul. Apolog. 34, ante ἀποθέωσιν Deum Caesarem nuncupare, praesagium mortis neronianae vel inde capere poterant, quod *divus* appellaretur. Hinc pulchre Tertul. Si non de mendacio erubescit hujusmodi adulatio, hominem Deum appellando, timeat saltem de infausto.

[18] *Venerat hora* — Joann. II, 4. Nondum venit hora mea.

[19] *Almon* — Almo flumen agri Romani, *il rio d'Appio* o *Aquataccio*, prope portam capenam ex via Appia in Tiberim labens, in quo Sacerdotes et

Cybelis simulacrum et sua vulnera abluere solebant. Ovid. 4. fast. v. 337.

Est locus, in Tiberim qua lubricus influit Almo,
Et nomen magno perdit ab amne minor.
Illic purpurea canus cum veste sacerdos
Almonis dominam sacraque lavit aquis.
Exululant comites, furiosaque tibia flatur,
Et feriunt molles taurea terga manus.

Venio iterum — De hac Petri fuga, deque ejus in urbem reditu praestat audire S. Ambrosium, qui fuse omnia describit: Idem Petrus postea, victo Simone, cum praecepta Dei populo seminaret, doceret castimoniam, excitavit animos Gentilium. Quibus eum quaerentibus, Christianae animae deprecatae sunt, ut paulisper cederet: et quamvis esset cupidus passionis, tamen contemplatione populi precantis inflexus est; rogabatur enim, ut ad instituendum et confirmandum populum se reservaret. Quid multa? nocte muro egredi coepit; et videns sibi in porta Christum occurrere urbemque ingredi, ait: Domine, quo vadis? Respondit Christus: Venio iterum crucifigi. Intellexit Petrus ad suam crucem divinum pertinere responsum. . . Intellexit ergo Petrus, quod iterum Christus crucifigendus esset in servulo. Itaque sponte remeavit: interrogantibus Christianis responsum reddidit; statimque correptus per crucem suam honorificavit Dominum Jesum. Ubi haec evenerint, sacellum indicat nomine: *Domine quo vadis?* non procul ab Ecclesia Divi Pauli extructum, ut prodigii memoria apud posteros extaret.

[20] *Paratis* — Sic Sanctus Leo Papa II, de Pass. Dom. Admisit in te impias manus furentium, quae dum proprio incumbunt sceleri, famulatae sunt Redemptori.

[21] *Anne aliud dare possit homo?* — Neque aliud profecto S. Gregorius Magnus Homil. V. in Ezechiel. Sciendum, quod mala nostra solummodo nostra sunt, bona autem nostra et omnipotentis Dei sunt et nostra: quia ipse adjuvando nos praevenit, ut velimus, qui adjuvando subsequitur, ne inaniter velimus, sed possimus implere quod volumus.

[22] *Non enarrabile nomen* — Optime Apostolus II, Cor. VII, 10. Saeculi autem tristitia mortem operatur.

[23] *Columnae* — Haec omnia singillatim Suet. XLI. Sed urgentibus aliis super alios nunciis, Romam praetrepidus rediit, leviterque modo in itinere frivolo auspicio mente recreata, cum adnotâsset insculptum monumento militem Gallum ab equite romano oppressum trahi crinibus, ad eam speciem exiluit gaudio, caelumque adoravit. Ac ne tum quidem aut senatu, aut populo coram appellato, quosdam e primoribus viris domum evocavit, transactaque raptim consultatione, reliquam diei partem per organa hydraulica novi et ignoti generis circumduxit, ostendensque singula, de ratione ac difficultate cujusque disserens, jam se etiam prolaturum omnia in theatrum affirmavit, si per Vindicem liceat — *Continuo Galba*. XLII. Postquam deinde etiam

Galbam et Hispanias descivisse cognovit, collapsus, animoque malefracto, diu et sine voce et prope intermortuus jacuit. Utque resipuit, veste discissa, capite converberato, actum de se pronunciavit.

[24] *Cunctatur Vindex* — Suet. Adscriptum et columnis: Jam Gallos eum cantando excitâsse; tum noctibus jurgia cum servis plerique simulantes crebro *vindicem* poscebant. Certe Scaevinus de quo supra, in conjuratione contra Neronem, ut Tac. notat: Pugionem apud Capitolium sacravit inscripsitque *Jovi vindici*. In praesens haud animadversum, post arma Julii Vindicis ad auspicium, et praesagium futurae ultionis trahebatur.

[25] *Galbamque reposcam*—Svet. XLVII. Nunciata interim ceterorum exercituum defectione, litteras prandenti sibi redditas conscerpsit, mensam subvertit, duos scyphos gratissimi usus, quos Homerios a caelatura carminum Homeri vocabat, solo illisit, ac sumpto a Locusta veneno, et in auream pyxidem condito, transiit in hortos Servilianos. Ubi, praemissis libertorum fidissimis Ostiam ad classem praeparandam, tribunos centurionesque praetorii de fugae societate tentavit. Sed partim tergiversantibus, partim aperte obstantibus, uno verbo etiam proclamante:

Usque adeone mori miserum est?

varia agitavit. Parthosne an Galbam supplex peteret, an stratus prodiret in publicum, proque rostris, quanta maxima posset miseratione, veniam praeteritorum precaretur, ac nî flexisset animos, vel Aegypti praefecturam sibi concedi oraret — *At clausis foribus* — Suet. ib. Sed mediam fere noctem, excitatus, ut comperit, stationem militum recessisse, prosiluit e lecto misitque circum amicos. Et quia nihil a quoquam renunciabatur, ipse cum paucis hospitia singulorum adiit. Verum clausis omnium foribus, respondente nullo, in cubiculum rediit, unde jam et custodes diffugerant, direptis etiam stragulis, amota et pyxide veneni — *Tigellini*. Ejus ingenium et finem Tac. his complectitur: Sophonius Tigellinus obscuris parentibus, foeda pueritia, impudica senecta, praefecturam vigilum et praetorii, et alia praemia virtutum, quia velocius erat, vitiis adeptus, crudelitatem mox, deinde avaritiam, et virilia scelera exercuit; corrupto ad omne facinus Nerone, quaedam ignaro ausus, ac postremo ejusdem desertor et proditor — *Imperii summam*. Non hic possum me continere, quin pauca de hujusmodi Neronis excidio animadvertam. Verissima prae omnibus censeo illa Suet. verba XL. Talem principem paulo minus quatuordecim annos perpessus terrarum orbis tandem destituit. Senatus quidem assiduis caedibus deminutus, seu longa assentatione corruptus aut famulabatur, aut trepidabat. Praetoriani milites, longa Caesarum consuetudine, et urbani otii commodis, et aulicis privilegiis deliniti Neronem profecto suo ingenio nunquam deseruissent. Quid de Romana plebe dicam? Frumentatio et congiarium adeo populares animos Neroniano nomini conciliaverant, ut Suet. memorârit, LVII. Et tamen non defuerunt, qui per longum tempus vernis aestivisque floribus tumulum ejus ornarent; ac modo imagi-

nes praetextatas in rostris praeferrent, modo edicta quasi viventis, et brevi magno inimicorum malo reversuri. Et aliud meminit idem Scriptor ib. Cum post viginti annos, adolescente me, extitisset conditionis incertae, qui se Neronem esse jactaret, tam favorabile nomen ejus apud Parthos fuit, ut vehementer adjutus et vix redditus sit. Sed si urbanae vires longa tyrannide obtritae languebant, defectionis signum e provinciis erupit. Oderant Romam provinciae, quae procuratoribus Caesarum, et Caesare ipso expoliatae, in sordida illa plebecula, qui princeps orbis populus dicebatur, malorum suorum originem videbant: urbano militi invidebant legiones longis marium aut terrarum intervallis exterminatae. Quid mirum, si e provinciis, et romanis legionibus seditio inceperit? Sic Piso apud Tac. fatetur. Hist. I, 6. Si Respublica et senatus, et populus vacua nomina sunt, vestra commilitones interest, ne imperatorem pessimi faciant: legionum seditio adversus duces suos audita est aliquando. Livius Reip. temporibus scribebat, et lib. 26. Rem mali exempli esse, ait, imperatores legi ab exercitibus, et solemne auspicatorum comitiorum in castra et provincias, procul ab legibus magistratibusque ad militarem temeritatem transferri. Nunc alia erant tempora, alii mores. Illa quae Tac. 1, Ann. *imperii aut dominationis arcana* legimus, et *arcana Domus Augustae*, idest aulae; et 8. Ann. *Secreta imperatorum*, evulgante Galba, in universum patuere. Militaris favor imperatores extulit, idem destituit. Idem Tac. Hist. 4, hanc temporum morumque explicat mutationem: Finis Neronis, ut laetus primo gaudentium impetu fuerat, ita varios metus animorum, non modo in urbe, apud patres, aut populum, aut urbanum militem, sed omnes legiones ducesque conciverat, evulgato imperii arcano, posse principem alibi quam Romae fieri. Ita Mucianus Hist. 2. apud ipsum Tac. Nam posse ab exercitu principem fieri, sibi ipsi Vitellius documento est.

[26] *Canities* — Tac. Hist. 7. Ipsa aetas Galbae et irrisui et fastidio erat, assuetis juventae Neronis, et imperatores forma et decore corporis, ut est mos vulgi, comparantibus. Belle quadrant verba Leandri apud Ovidium Epist.

Quo brevius spatium nobis ad furta dabatur,
Hoc magis et cautum, ne foret illud iners.

Et ib. Tac. imitari videtur: Servorum manus avidae, et tanquam apud senem festinantes. Tac. Hist. I, 5. Nec deerant sermones senium atque avaritiam Galbae increpantium. *Galba*—Svet. Galb. I. Progenies Caesarum in Nerone desinit: et 11. Neroni Galba successit nullo gradu contingens Caesarum domum. Quod in partes suas Vindex illum vocâsset, habes ab eodem historico, IX. Carthagine nova conventum agens, tumultuari Gallias comperit, legato Aquitaniae auxilia implorante. Supervenerunt et Vindicis litterae hortantis, ut humano generi assertorem ducemque se accomodaret. Nec diu cunctatus, conditionem partim metu, partim spe recepit. Nam et mandata Neronis de nece sua ad procuratores clam missa deprehenderat ». Sed Romanum imperium mole fa-

tiscebat sua. Habebat suum quoque carmen Hispania: Oriturum quandoque ex Hispania principem dominumque rerum : eaque Galbae erant opera, Hispaniensium animos sollicitantis, ut altera Roma ad Iberum flumen consurgeret, nisi morte Vindicis, et Neronis Romani imperii potiundi desiderium exarsisset. Idem Svet. XI. Accessit ad tanta discrimina mors Vindicis, qua maxime consternatus, destitutoque similis, non multum abfuit, quin vitae renuntiaret. Sed supervenientibus ab urbe nunciis, ut occisum Neronem, cunctosque in verba sua jurâsse, cognovit, deposita legati suscepit Caesaris appellationem. Iterque ingressus est paludatus.

[27] *Gallia* — Svet. XLVI. Credensque expeditionem necessariam, consules ante tempus privavit honore, atque in utriusque locum solus iniit consulatum, quasi fatale esset, non posse Gallias debellari, nisi a Consule, ac susceptis fascibus, cum post epulas triclinio digrederetur, innixus humeris familiarium affirmavit, simul ac provinciam attigisset, inermem se in conspectum exercitus proditurum, nec quidquam aliud quam fleturum, revocatisque ad poenitentiam defectoribus, insequenti die laetum inter laetos cantaturum epinicia, quae jam nunc sibi componi oporteret.

[28] *Immania plaustra*—Svet. XLIV. In praeparanda expeditione primam curam habuit deligendi vehicula portandis scenicis organis, concubinasque quas secum educeret, tondendi ad virilem modum, et securibus peltisque amazoniis instruendi. Mox tribus urbanas ad sacramentum citavit, ac nullo idoneo respondente, certum dominis servorum numerum indixit, nec nisi ex tota cujusque familia probatissimos, ne dispensatoribus quidem atque amanuensibus exceptis, recepit. Partĕm etiam census omnes ordines conferre jussit, et insuper inquilinos privatarum aedium, atque insularum pensionem annuam repraesentare fisco.

Atrocis
diffic
frequ
ipse
cum
sanct
tatis
cona
tion
exhi
ris e
sse
Eric
prae
non
trar
vati
Siv
bar
tor
du

PETREIDOS

LIBER XXIII.

ARGUMENTUM

Atrocissimam sibi necem parari pro explorato habens Petrus, tanta itineris difficultate, caeleste viaticum parat— Subitaria instruitur ara, et coram frequentissimo Christianorum coetu Pontifex sacris operatur — Seque ipse, et Paulum comitem sacrosancto J. Ch. Corpore, contra extremam cum morte luctationem munit, omnibus collacrymantibus — Quos ipse sancta superfusus laetitia suavissimis verbis erigit, et aeternae felicitatis spe inflammatus, Eunen, ut carmen *In exitu Israel de Aegypto* canat, hortatur — Quae Hebraeorum in alienigenis terris peregrinationem, inque promissam hereditatem ingressum commemorans, omnes exhilarat — Concentus novitate perculsi, et Sacerdotes Mithrae, et carceris excubiae pontificiis pedibus sese obvolvunt — Deinde Pontifex universae Ecclesiae rem curat — Lino urbis et orbis procurationem mandat — Fridolinum et Achaten Helvetiae apostolos renuntiat, Beatum Rhetiae praeficit; eosque ad apostolicum sepulchrum sacro chrismate inungere Linum jubet — Dionysium Areopagitam ex Atheniensi Episcopatu in Gallias transfert, eique Lutetiam commendat, Gallicae gentis nobilissima fata vaticinans — Interea caelesti luce circumfusum continuo omnes vident— Sive supernarum rerum spectaculo, seu Caelitum alloquio fruentem turbare metuentes omnes conticescunt — Demum ipse sibi redditus, ut coetum defixis oculis haerentem intuetur, velut supremas testamenti tabulas, totam rerum futurarum seriem describit — Quam ethnica Roma

humani generis societatem vi et armis facere nequit, Pontificia Roma fide perficiet — Divini numinis ira quamprimum conflagrabit in Romanum imperium, et in Judaeam: alterum intestinis seditionibus laniatum iri, suaque se manu Neronem interfecturum; romanis alterum exercitibus vallatum solo ruiturum — Neque multo post, Templis Judaeo et Capitolino incendio deletis, judaicas ceremonias, et romanas superstitiones Christianae religioni cessuras — Linum, Cletum, Clementem, Evaristum rem Christianam moderaturos — At quamvis a Neronis nece turbatis imperii rebus Christiani respirabunt, Christiana Religio nonnisi praeliando triumphabit — I. erit bellum contra Caesares — Quantus Christianorum numerus pro Christi confessione strenue dimicabit! Neronianae impietatis successores barbara immanitate Italiam, Galliam, Hispanias, Asiam, Africam Christiano sanguine purpurabunt — Sed inter acerbissimos quibus conflictabitur cruciatibus Ecclesia, singularis Dei providentia enitebit — Pontificum fortitudo gregis fortitudinem inflammabit — Domi disciplina firmabitur, foris Christianum nomen propagabitur — Sed tertio saeculo ineunte, universam terram ab oriente usque ad occasum tres immanissimae belluae Christiano sanguine perfundent — Novis suppliciorum generibus excogitatis, partim per oppida, vicos et urbes discerpentur; partim in montibus et solitudinibus, fame, siti, frigore, morbis et latronum aut bestiarum incursu peribunt — Ad pugnam non singuli, sed tota simul castra prodibunt — Infinitam propemodum Martyrum multitudinem prospicit Petrus, et illacrumat — Tamen certam Ecclesiae victoriam vaticinatur — Tantis caedibus, tantum aberit, ut Christiana Religio deleatur, ut potius novis in dies auctibus longe lateque clarescat — Singularis benevolentia, qua tortores ipsos amplectentur Christiani, illa animi fortitudo qua ad teterrima cruciamenta, velut ad epulas et triumphos convolabunt, illustria inter ipsos cruciatus miracula, Christianae rei augendae mirabiliter proderunt — Sed, Maxentio per omne nefas ruente, praesignatus a Deo ultor e Galliis castra movebit, ad Veronam inimicas acies fundet, caelesti Crucis ostento alacrior factus, eoque signo, certae victoriae pignore, manipularibus armis praelato, ad Milvium pontem hostium ducem ipsum profligabit — Qui fugiens, ponte abscisso, in Tiberim demergetur — Exultans Petrus Miltiadi gratulatur, qui altero sui Pontificatus anno redditam Ecclesiae pacem salutabit — Tum Constantinus e latibulis in solem Ecclesiam egredientem, regio jure et potestate frui donabit — Omni beneficiorum copia Christianam Religionem complectetur — Hic plausibus innumeris Petri oratio interpellatur — Tantae victoriae amplitudinem Christiani audientes, Christo triumphatori solemne epinicium canunt — Sed dum Principis opiferi brachio suffulta Ecclesia per universum imperium trium-

phat, II. bellum erumpet contra haereses — In ipso Ecclesiae gremio insolens perfidia fundamentum ipsum totius operis labefactare conabitur, Christi divinitate iniquis doctrinis impetita — Ex Alexandrinae scholae officina prodibit scelus, e Lybia ortus presbyter — Sed invictum animi robur praeseferet Athanasius, pro catholicae fidei integritate — Ad Episcopatum Alexandrinum evectus, et saepe sua sede pulsus, saepe restitutus, verbo, scriptis perfidiam arianam profligabit — Cum totus oriens atque occidens animis fervescerent, ex Silvestri Pontificis voto, Constantino curante, Osio Cordubensi Episcopo Romani Pontificis legato, primum Concilium Oecumenicum celebrabitur — Quo Christi Servatoris divinitate confirmata, divina Ecclesiae auctoritas constabilietur — Ipse avitae fidei novator teterrimum divinae ultionis exemplar erit — Sed in Spiritum Sanctum haeretica novitas irrumpet, novisque deliramentis tota SS. Triadis dignitate impetita, novis ex tota Christiana republica conciliis convocatis, Catholici dogmatis tessera firmabitur — Immortali luce apud posteros clarescent Byzantium, Ephesus, Nicaea, Chalcaedon, qua universae Ecclesiae conventus celebrantur — Totusque terrarum orbis oecumenica scita veluti divinitus afflata excipiet — Neque eo secius sanctissimo Jesu Christi nomine Thebaidos deserta circumsonant — Eremicolarum multitudo in Aegyptiis desertis crescet, ut amplissimarum urbium populos aequàrit — Antonius, Macarius, Hilarion, Paulus, Pachomius religiosa moderabuntur castra, quae, rebus humanis et caducis contemptis Christianae, perfectionis exemplar effingent — Sed exultantis Ecclesiae triumphos turbabit III. bellum contra resurgentis ethnicismi conamina — Perjurus princeps imperium adeptus, ejurata Christi fide, Ethnicorum numinum cultum restituet — Concessum Christianis ritibus patrocinium auferet, Christi cultores acerbe et crudeliter tractabit; quin etiam ipsius Religionis conditorem falsi arguens, Hierosolymitanum templum excitare conabitur — Sed frustra: flammis e fundamento erumpentibus, artifices temerario opere deterriti absistent — Et ipse, ducto contra Persas exercitu, telo percussus miseram ejiciet animam — Alacriorem victoriarum cursum recipiet Ecclesia, fortissimos heroas educens pietate, et doctrina et fortitudine praelucentes — Quos inter Petrus singulari laetitia perfusus paucos meminit, qui meritissimo Patres vocabuntur, sive orientis sive occidentis glorias — IV. imminet bellum contra Barbaros: Ethnicae Romae imperium collabetur; immensa Barbarorum colluvies irrumpet, innumerisque malis Italia conflictabitur — Sed Hunnorum regem, urbibus captis direptisque, Romam properantem Pontifex e sanctis moenibus deterrebit — Neque multo post ex Arabia egreditur altera barbaries, quae tum armorum terrore, tum Christiana-

rum exuviarum spe illecta multitudine, Palaestinam, Syriam, Aegyptum, Persidem occupabit — Et Italiam ipsam minitabitur — Tot propius resonare belli pericula cernens Romanus pontifex in Galliam proficiscetur — Galliae principes nunquam Romanae Ecclesiae defore spondebunt — Sed Carolus rerum gestarum amplitudine et gloria Magnus dictus barbariem ubique debellabit — Utque Romani pontificatus altitudo pari dignitate circumdaretur, et in apostolici ministerii partibus explendis plena perfrueretur libertate, Pontificiae ditionis regnum, rebus ipsis dictantibus, et populorum consensione inceptum firmabit — Romana Ecclesia barbariem expoliet, potissimum monasticis claustris in occidente institutis — Praelucebunt ceteris Benedictus, qui montem Casinum sanctitati, et sapientiae perfugium aperiet — Et Bonifacius, Germanorum Apostolus, qui virtute et doctrina selectissimam bellatorum manum contra arcticas superstitiones instruet — Sed infelix saeculum! ingeminatis barbariei incursionibus offusae toti terrarum orbi squalentes tenebrae incumbent — Inter ipsos Ecclesiasticos viros invalescet ignorantia, et morum foeditas — In tanta tamen vitiorum colluvie una fides servabitur — Utque longe lateque patescat, Gregorius VII summus Pontifex renunciabitur — Suis legibus in templo Dei, inque ipsis populis novus exardescet spiritus — Qui Occidentis oculos in Orientem convertet — Urbanus II Gallus in Concilio Cleromontano, Domini sepulcrum a Saracenorum tyrannide liberandum decernet — Sacri belli praerogativam laeta sibi poscet Gallia — Tota sequetur Europa, eadem fidei communione sociata — Ingens Latinorum exercitus, quamvis Graecis invidentibus, sancta loca recuperabit — Crux iterum in Hierosolymitana arce praefulgebit — Sed Barbarie ubique victa, V. bellum ab arcticis imperatoribus imminebit — Qui Religioni imperium antestare, suoque arbitrio rem sacram regere contendent — Fortissimorum Pontificum series pro Ecclesiae libertate pugnabit — Innocentius III Romanum pontificatum supra terrenas omnes amplitudines evehet — Sed germanicae seditionis semina subolescent, et Italia potissimum cruentis factionibus turbabitur — Clemens V. Pontificiam sedem Avenionem transferet, sed veluti inter alienigenas longius immorari Arca Domini nequibit, Romaeque priscum restitutum ornamentum salutabit Italia — Graecia tantum pactam toties, juratamque cum romana Ecclesia concordiam deseret? — Sed manifestum divinae ultionis judicium, Othomanae acies Constantini urbem obsidebunt — Ferro flammaque omnia vastabunt — Orientis imperium e summo fortunae culmine collabetur — Amissum ab Oriente humanae dignitatis principatum Occidens recipiet — Eumque barbarae gen-

tes, christiana religione expolitae sustinebunt — Totius Europae lumen et ornamentum Roma erit, quae sociatis animis divinae vocis auctoritate, sempiternae justitiae triumphum in rebus gerundis praestituet — Et fide praevia, supra naturam veritates revelante, rationem ipsam, addito divinitus lumine, educabit — Eaque intra naturae ordines spatiata, novam bonarum artium, et severiorum scientiarum vim sibi patefaciet — Jamque nova omnia per terras faciet Religio, detersis interius mentibus, exterius novis templis constitutis — Hic constitit Petrus — Vaticanam basilicam prospicit structura, et mole magnificentissimam, suoque nomine decoratam — Summaque animi demissione: *Non mihi, Domine*, exclamat, *sed nomini tuo da gloriam.*

At mihi supremum spatium, metamque propinquam
Spectanti, quamvis longo defuncta labore
Pectora subsultant, major nunc spiritus ore,
Impetus ingenio major, quo munera solvam,
Est opus. Humanis neque fidere viribus ausim,
Dum canere aggredior Romam nova fata sequentem,
Fundantemque novos mores, nova jura, novamque
Vitai seriem caelesti numine dignam.
Eja age, qui aeterno consors Sapientia Patri,
Descendisti ultro terrena invisere regna,
Quo renovata Dei per terras magna niteret
Gloria, dum propius tua nostros ora recludis
Per populos, laterique tuo rectumque bonumque
Procedunt, sanctique fides praenuncia veri,
Eja fave vati. Vultus simulacra prioris
Servârunt maria, et tellus, et maximus aether.
Te nox, teque dies, et hyems, te autumnus, et aestus
Et ver floriferum constanti lege sequuntur,
Atque tibi plaudunt nativae conscia legis;
Teque homo, quem rebus dederas Regem ipse creatis,
Deseruit, factis ausus turbare nefandis
Impressas quondam mortali pectore normas?

At mihi nunc sacrae decus admirabile telae
Texenti, qua iterum sancto lustrata nitore
Gens hominum antiquae pellit caliginis umbras,
Atque vetus caelum et terram Concordia jungit,
Ipse fave, vimque extremo ipse novam adjice cantu.
  Pontificum Senior, despectam inducere vestem
Hactenus assuetus, ceu si solemnis adesset
Festa dies, totoque adeo venerabilis aevo,
Quae Blandina diu solerti pallia cura
Neverat, isque sibi tantos servabat in usus,
Protinus induitur: properata altaria surgunt,
Quae Linus et Cletus cultu ornavere decenti.
Stant circum captivi omnes, electa corona;
Qui modo Christiadûm documenta fidemque professi
Praesensere malis lenimina prima, recentes
Mirantur pompas rerum, sacrosque paratus.
Ast opere in tanto partem ascivere priorem
Atticus Antistes, placida et contenta quiete
Tarsensis virtus, luctusque oblita futuri.
Sacra facit Senior: compressum murmur, et omnis
Conticuit chorus, et squalens obmutuit antrum.
Et tantum orantum gemitus, suspiria tantum
Audita interdum sanctam interrumpere pacem.
Sacramentum ingens primum Pater ipse recepit,
Et mox Tarsensis sancto communicat ore.
Continuo auditus vastis resonare cavernis
Impatiens gemitus; tantum laeta ora sereno
Pontifices caelo attollunt, seseque recenti
Pro Romae imperio sacrant, certaque salute.
Ast ubi divinis dapibus firmata vigescunt
Pectora: Quandoquidem medios abrumpere cursus

Tantus suasit amor, nostrumque educere funus,
Eune, jam fidibus poteris aptare canoris
Carmen, quod gravibus jam tandem libera vinclis
Gens tota Isacidûm, Moyse praeeunte, canebat,
Ardenti jam regna animo promissa volutans.
Petrus ait. Quamvis acri transfixa dolore
Cantatrix nequiit Genitori obstare jubenti,
Accepitque lyram sacrum ad solemne paratam.
Qualis ubi cycnus per prata Caystria pastus,
Sicubi nativos, celsa incunabula, montes
Ire parat, patrios ceu si meminisset amores,
Alternat numeros, et cantu nubila plaudit;
Aut qualis philomela sedens super arbore summa
Nocturnas hilarat variis concentibus umbras:
Substitit agricola admirans, atque ipse viator
Oblitusque viae manet oblitusque laborum:
Haud alia argivi fuerunt modulamina cantus.
Ambrosio stant ora sono suspensa, melosque
Aures suaviloquum complet, pacisque serenae
Dona ferens curarum immania vincula solvit.
Excita dulcisonos numeros vicinia tota
Audiit, et Mithrae templo abscessere relicto
Turba sacerdotum, inque specum venere propinquam.
At ternae excubiae signis ingentibus actae
Submissis veniunt armis, patrisque jacentes
Ante pedes, et: Nos numero, Pater, adde tuorum:
Orant, et Petrus passis complectitur ulnis:
Huc nati properate mei. Quae venerat hora
Extrema pubes, operam mercede locavit [a],
Qua primi agricolae. Vos et considite mecum.
Pontificem turbae tanta gravitate profantem

Videre, atque novo caeli divinitus igne
Afflatae pompis exultavere sacratis.
At vos divina haud equidem sine mente frequentes
Advenisse reor: tanto exultabit honore
Sponsa Dei, medioque parens foecunda dolore
Parturiet, spemque afflicti solabitur orbis.
Tu, Line, tu nostros semper comitate labores,
Ipse meas Christique vices gere; meque abeunte
Excipies moderator oves oviumque magistros.
Ceu Christus me olim galilaea legit in acta,
Et triplicis mundi claves permisit habendas,
Te nunc ipse lego : simul ac mortalibus horis
Defuero, lecti proceres in nomine Christi
Convenient, patremque legent, qui sustineas rem
Christiadûm, princeps et ovilia cuncta gubernes.
Ipse tuos firma fratres, fratresque juvabunt
Junctis auxiliis, mediusque morabitur almus
Spiritus, inspirans caelo mentemque animumque.
At vos, quos aluit semper sociae aemula flamma
Virtutis, jam tempus adest discedere Roma.
Helveticae gentis regio te dura, Beate,
Teque habeat, Fridoline: suum te poscit, Achate,
Rhetia Pontificem. Nostrum mox ante sepulcrum,
O Line, sacratos, quemque in sua regna remittes.
At tu qui mecum eoa digressus ab ora
Dulcis convictor media inter multa fuisti
Agmina curarum, actaei quondam alta senatus
Gloria, nunc sacri benefirma columna senatus,
Te, Dionysi [3] ingens, populosa Lutetia poscit.
Proh! quae bellaci spondet fata inclyta genti
Omnipotens! quantis clarebit Gallia factis!

Ut se Roma parens tanta jactabit alumna!
At tu quam memoro ipse meae sub tempora mortis,
O gens illustris, nunquam obliviscere Romae:
Te mater fidam cunctis experta periclis,
Auctam Christiadûm regno, laetata vocabit
Et genere et factis primam: neque defore sperem.
Eja agite, o fratres, dulcem decerpite mecum
Laetitiam: aetherei praesto est jam gloria regni:
Speluncis tandem et cavea egrediemur ab ima.
Summa brevis vitae aeterno mutabitur aevo.
Talia fatus erat, cum protinus omnia luce
Emicuere nova, obtutuque intentus in uno
Magnanimus Pastor stetit. Aut venientium imago
Caelicolûm attonitum rapuit, pascitque latenti
Alloquio, aut animo fata eventura recenset,
Factaque, fortunaeque virûm, motusque futuri
Mentem averterunt. Immotos deserit artus
Spiritus: interea varios errare colores
Laetitiaeque metusque vident super ora, stupentque
Defixi circum comites, turbare timentes
Versantem forsan magnarum abscondita rerum.
Ut primus mentis cessit calor, utque, recepta
Effigie, cordis sancta exaturata cupido est,
Mox sensim coepit remeare, in seque reverti;
Ille tacere omnes, intentosque ora tenere
Conspicit; arcana quae vidit imagine, Christi
Numine, fatidicis venientia saecula dictis
Narrare aggreditur: Quae vos tenet anxia cura?
Eja, agite, ex animo cunctos secludite luctus.
Testamentum ingens, documenta novissima patris
Accipite: extrema porro vos alloquor hora.

Relligione una cunctas componere gentes
Ethnica Roma nequit, indignaturque coronam
Defore praecipuam, quod romula sacra rebelles
Christicolae fugiant. Porro quod defuit unum,
Donabit Christus: cadet ethnica Roma triumphis
Christiadûm molita vias: mea Roma resurget,
Cui Christus dederit cunctas componere gentes
Relligione una. Namquae se candida imago
Exhibet ante oculos saeclis complenda futuris?
Aurea progenies caelo dignissima crescit:
Quis numerare queat? video per castra, per urbes,
Per fora versari; praecelsa palatia, et aulae
Illustres regum, praetextatusque Senatus
Sanctis opplentur: pietas loca cuncta frequentat.

Non tu Christiadûm sanctum sparsisse cruorem
Gaudebis, Nero; romanos saturâsse pigebit
Caedibus innocuis campos. Mille agmina cerno,
Cerno duces conjurato ruere impete, tristem
Solvere servitio Romam, dextraque nefandum
Diripere imperium. Demens! non ipsa cruenti
Carnificis praesto manus est; formidine pallens
Indigna effugies, fugientem pone fatigant
Omnia; vix ferro poteris finire labores [4].

Et tibi summa dies, et ineluctabilis hora
Adveniet, Solyme [5], oblatam aspernata salutem.
Diluviem immensam tempestatemque malorum
Incesto capiti inverget, gravidamque pharetram
In te sic meritam divina exhauriet ira.
Impia romuleis circum vallata coronis
Moenia conspicio: an cladem vitabis iniquam?
Miscet agens clausos pavor intra moenia cives.

Procumbunt juvenesque simul castaeque puellae,
Et senibus mixti infantes; non debilis aetas
Illis profuerit, non his custodia matrum.
Dum strepitu horrendo exululantia monstra ferarum
Exultant triviis rabiem saturare cruentam,
Romula judaeo fera sanguine tela rubescunt.
Et si qui reliqui fuerint, queis ira pepercit
Hostica seu malesuada fames diuturnaque tabes,
Mancipia exibunt pretio venumdata vili.
Serpit flamma sequax, populataque tecta domorum
In templum irrumpet: ruet alto a culmine templum [6].
Ipsa etiam, ipsa etiam veneranda volumina legum
Et mensam ex auro, et septeno lumine lucens
Candelabrum aureum Romam omnia conferet hostis,
Victoris magnos exornatura triumphos.
Heu Roma! heu Solyme! neque jam insanire pudebit?
Ardet Judaeum templum; perfecta quiescit
Mosis Relligio: paribus Capitolia flammis
Ardescunt Romae [7]: veterum contemnitur omnis
Caeca superstitio. Sedes cessere relictae,
Quo Christo statuat divina Ecclesia templum.
At! quaenam fastu pellex [8] impura superbo
Me terrere parat? sedet ipsa ad fluminis undam;
Purpura taenario vestit saturata veneno,
Totaque diffulgens auro, gemmisque decoris
Fert pateram dextra auratam, obscoenoque liquore
Undantem: circum fulgenti murice amicti
Circumdant reges: juvat indulgere choreis,
Pestiferoque juvat sese perfundere tabo,
Unde repens furor invadit. Quas barbara caedes
Incitat ebrietas? quantus fluit undique sanguis?

Ora manusque lavant; et tellus tota rubescit.
At non haec signant septena cacumina Romam?
Heu! Roma, heu! terrae impuris stipata tyrannis
Natis, Roma, meis certamina tanta parabis?
Et vos, Judaei [9], famularis turba, nefastum
Tenditis in Latium. Quid vasta molaria anheli
Exportant humeri? Quo spectant marmora secta?
Instrumenta necis nova gens Judaea minatur?
En Roma in media (famulis ea pensa dabuntur)
Amphitheatralis fabricatur machina, monstris
Marmaricis statio, discerptaque membra piorum
Christiadûm visura, feros visura dolores.
Te, Line, te, Clete et Clemens, te, Evariste, vocabit
Pontificale decus: sanctas protendite caulas,
Et seu pax aderit, beneculta ostendite prata,
Et potum irriguas lympharum educite ad undas;
Sive superstitio mundi peritura ruentis
Saevierit, vos nulla unquam violentia vincat:
Ignipotens virtus, quam caelo afflabit ab alto
Jesus, Christigenas per acuta tuebitur, atque
Arcanis fulgens radiis, ceu stella per umbras
Monstratura viam, tenebroso ardescet in orbe.
Illustres animae, mortem praeponere vitae
Ausae, et Christiadûm in terris firmare triumphos,
Quae vobis meritae solvam praeconia laudis?
Unus qui superest bisseno ex agmine fratrum,
Ad Latiam trahitur portam, qua pinguis olivi
Fervescunt latices, et ahena undantia flammis:
Insilit en medios magnus Confessor in aestus
Et dias celebrat laudes; stupet ipse tyrannus
Prodigium: stupet heu! frustra, captumque relegat

Aeriae gelido moriturum vertice Patmos [10].
Quae nova poenarum facies! Felicula [11] Virgo
Horrendam esuriem patitur, positique necatur
Robore equi: plumbo ingenti, tortoque flagello
Caeditur innocuus Diomedes: Pergama cernunt
Aerati vituli flagranti corpore clausum
Antipam, et diro spirantem fortiter igne.
Jura pudicitiae Domitillam intacta ferentem,
Pontia constrictam medio tenet insula fluctu.
Non tamen excedent comites formosus Achilleus
Et castus Nereus: testantes sanguine verum
Attonitum excutient factis ingentibus Anxur.
  An fera saevities tortorum fessa videtur?
Mites Christiadae, falsae ne fidite paci [11],
Saeviet occultum sub pacis nomine bellum.
At quoniam vobis caeli spirabilis aura,
Liberiorque dies discrimina certa creabit,
Tutius excipiet vos subterranea Roma.
Ah! fugite, o nati: teterrimus imminet hostis:
Sanguinis adspicio ingentes recalescere rivos.
  Et tu qui tantum superas e sanguine Christi,
Occumbis, Simeon [12], Solymaei pastor ovilis:
Ambas funereo suffigent arbore palmas.
Antiochia choro cernet clamante reposci
Te ad poenam, Ignati, cui raris tempora canis
Aetas adspergit gravior, sed pectore vivit
Non periturus amor. Dira ad spectacula Romam
Eductus media sistet Confessor arena,
Diripientque ferae. Nulla superabilis arte
Dux Marius contemnet opes, contemnet honores:
Attonitas faciet formosa morte cohortes,

Proque fide stabit. Mediis certabis Athenis,
Tu, Publi, magna tuque edita gente, Sabina,
Pugnabis: tellus te Symphorosa queretur
Tuscula. Quae genitrix! septem, sua pignora, nati
Stant lateri; hoc unum genitrix sanctissima quaerit,
Ut primum mactent pueros: stellantia templa
Ingressos postquam cernet; me confice, tortor,
Dicet: me adde meis, natis fas jungere matrem.
Ecce superpositus magno Polycarpus in igne
Ardebit, foeda et terrebit imagine Smyrnas!
Quali Lugdunum [13] exundabit sanguine! quali
Praegestit studio coetus matrumque virùmque
Quaerere martyrii palmam! Regit Irenaeus
Fortunatum agmen: virtus stat quanta Benigni
Corpore! Symphorii magno se jactat honore
Augustodunum. Quo me vix summa petentem,
Gervasi et Protasi, rapitis, par nobile fratrum?
Nec te, Sardinia undanti circumflua ponto,
Praeteream: insigni te augebit laude Potitus.

Ceu studiosa parens circum incunabula nati
Anxia versatur, dulcique inspectat amore
Purpurèi vultus charites, roseumque labellum,
Et laetos oculos, sic caelo observat ab alto
Omnipotens tantam sobolem crescentis ovilis,
Membra tenella fovens cunctis secura periclis.
Quo magis afflicta supererrant fronte dolores,
Pulchrior illa micat, nimbisque agitantibus aucta
Crescere cognati respectat vincula amoris.
It secura, Dei quo magna potentia flatu
Dirigit assiduo. Fletum cohibete metumque.
Quales conspicio heroas considere sancto

Pontificum solio! cunctis sedet una cupido
Cuncta domi firmare sacri fundamina regni,
Et firmare foris, totoque extendere in orbe
Salvete, o grandes animae, Pie magne, potensque
Soter, Anicete et senior: vos nobile lethum
Passi, quantum eritis sancto in certamine calcar!
Hostica quo rabies graviora pericla minatur,
Omnibus invigilat major custodia portis,
Septenique viri stabunt pro moenibus urbis,
Septenique senes. Juvenes quaesita reponunt
In medio, aut victum curant: sed sacra facessunt
Umbrosis adytis seniores: cardinis instar [14]
Impositas humeris sustentant fortibus aedes,
Communes agnis simul, et pastoribus aedes,
Qua securum agitant magnis sub legibus aevum.
Grandaevi salvete senes: salvete, senatus
Ordia magnanimi; vobis a cardine nomen,
Et mox sive domus magnas, seu jugera ruris
Lecta dabit pietas, pecori opportuna tuendo,
Libandisque sacris, titulos nomenque feretis;
Atque ubi parebit terrarum maximus orbis,
Magnum consilium pro tempore Roma sequetur;
Purpura quae fusum pro Relligione cruorem
Ostendit, sacri dabitur gestamen honoris.
Quam video ad Tiberim celerem adventare carinam [15]?
Paciferas laeti nautae imposuere coronas
Puppibus: agnosco venientes orbe Britannos
Extremo, et fidei quaerentes lumen ademtum,
Quod sparsit patriis quondam Arimathaeus in oris·
Romanos poscunt fidei morumque magistros.
At tu quem Romae patrem dabit inclyta Siren,

Excipies proceres, Pastor, tuque inde Fugatî,
Et celso Damiani animo ditabis ovantes.
Audiet eloquium Christi magna insula: primo
Lucius exemplo sacra lustrabitur unda
Et secum sua magna domus. Simulacra labascent,
Veracique Deo surgent immania templa.
Tertia [16] sed video procedere saecula: bella
Sanctis Christiadûm agminibus graviora propinquant.
Ipse mali pater aethercam perrumpet in oram;
Et quoniam in fatis sancti est victoria veri,
Miscebit caelum et terras, foedisque ruinis
Omnia complebit, celerem impedietque triumphum.
Quantis criminibus, quantisque exterrita monstris
Ethnica Roma ruit! Fracta compagine legum,
Vincula lapsa fluent summam tractura ruinam.
Praedae inhians, circumque ruens praetoria miles
Arbitrium imperii arripiet, venumque sub hasta
Exponet, pretioque dabit maiora ferenti [17].
At Christi regnum toto firmabitur orbe
Per damna et caedes. Gregibus praecurrere sancti
Gaudent Pontifices, vasti magna oppida regni
Perlustrant, moresque docent, altaria circum,
Praecipiti timidas ceu tempestate columbas,
Excipiunt populos. Truncato vertice cursum
Complet martyrii romano e sanguine cretus
Urbanus [18]. Natum Calpurnî Buccina primum
Insula constringet, saevo mox verbere tunsus
Sanctam animam efflabit. Graecus quem deinde sequetur
Antherus, Fabioque satus, quem illapsa columba
Ostendet Romae, et romana in sede locabit.
Heu scelus! heu probrum! furiis armata malignis

Quo ruet improbitas? sanctos consurgere coetus,
Pontifices legere, et rebus praeferre regundis
Praeterea impediet? Vacuas ne desere habenas
Rerum, Roma potens: exempla ad magna creatus
Romanus Clerus [19] totum pia bella per orbem
Dirigat. Heu! miseris tot cladibus externati
Quot collabentur! Sanctum servate tenaces
Propositum; lapsi [20], ad caulas remeate paternas:
Pontificum virtus serie instaurata praeibit.
En Centumcellis miserabilis exulat, atque
Cornelius fortis letho expirabit iniquo:
Lucius unde redux, rapto pastore, creatus
Ipse etiam, pastor ferro cadet ipse cruento.
Mox Stephanus sacris pugnans pro ritibus, atque
Xistus squalenti Romam moderatus ab umbra,
Et captis natis sancto Dionysius ausu
Auxilians furtim, atque hetruscae gloria gentis
Felix, extinctos tumulabunt Martyras urnis;
Mox eadem tum bella viros, tum palma manebunt.
Nec pugna inferior toto pugnabitur orbe.
Agmina Christiadûm longo collisa duello
Urbibus e magnis fugiens, solosque per agros,
Perque umbras nemorum, et caecis condentur in antris.
Supplicibus votis patris exorabile numen
Pacificant; consternati miserescat ovilis,
Expediat belli finem, pacemque secundet.
Cernite! damnatae media Carthaginis urbe
Constans Perpetua, et primo Felicia vere
Exhilarant ludos, rapidisque vorantur ab ursis.
Sanguine purpureum quanto pinguescere Nilum
Cernet Alexandria! Leo pater [21], ille creator

Mentis origeneae foecunda praeferet ora
Martyrii signum, lecti quem deinde sequentur
Heraclides, et Plutarchus, magnusque Serenus.
Quanta super lucet magnae virtutis imago!
Saevis suppliciis maior Patamaeia virgo
Eminet, et Marcella parens; mirantur et ipsi
Tortores: mora nulla: sequi te, Christe, fatentur:
Munera carnificis mutabit nobile lethum.
Barbara martyrio Nicomedis proluet urbem;
Illustres Agathae palmas Trinacria jactat,
Virgineam frontem exornans diademate sancto
Martyrii. Saturninum facunda Tolosa
Flebit, magnanimi memorans benefacta parentis.
Heu! miserum! heu! miserum! septem, pia pectora, fratres
Ingenti quaerent Ephesi latitare caverna;
At frustra: irrumpent in concava saxa latrones,
Praecludentque adytus, specubusque incendia volvent:
Fumea nox oculos clausit, placidaque quiete
Mors consopitos caelum deportat in altum.
Et tu jamdudum sanctum in certamen ituros
Hortari sanctos, et collaudare supremo
Funere consuetus, letho, Cypriane, cruento
Ipse etiam occumbes: tellus gemet Africa cernens
Tercentum justos liquefacta occumbere calce;
Nec luctus Romae inferior; quis linquet Iberum
Tot juvenum florem super exitiale cubile
Compactum in morem cratis? Laurentius ignes
Spernens fumiferos, te, Christe, fatebitur unum.
Quartus, et Hippolytus crudelia jussa tyranni
Execrabuntur: supra sexum ire Secundam
Robore conspicio, Rufinamque ire sororem.

Virtutem anne tuam, legio thebana, silebo?
Alpium inaccessas properare jubetur in oras,
Christiadasque omnes per densos quaerere valles.
At renuit legio mandata facessere dira.
Bis terve impavidum decumatur saeviter agmen,
Constans proposito stabit tamen: Ardua Agauni
Planities tantae caedis se jactat honore.
   Ast aliis doctam incendit sapientia mentem:
Progressum juvenem video Samaritidis ora
Ardentem, et Christi fontes haurire beatos:
Tum vero insolitus menti calor incidet; audax
Caesarei ad culmen solii magnumque senatum
Nutantem stabit pro Relligione recenti.
Quo me Christiadûm rapitis duo sidera? vivet
Nomen Athenagorae, Quadrati gloria vivet;
Nec minus ardebit magna Carthagine Florens
Septimius, scriptoque potens et robore: felix,
Si postquam varios pugnando cominus hostes
Fregerit, errorum laqueos vitabit iniquos!
   Tres furias [22] video haud humano sanguine cretas,
Ipsaque conceptos styx horrida parturit hostes
Christiadûm sacris. Tempestas saeva minatur
Extremam cladem, primumque extinguere semen.
Ilicet excutitur vetus omnis mundus, et omnis
Hostica conjurat rabies, nisuque retentat
Extremo super instantem prohibere ruinam.
Mentibus oppositis mentes concurrere, jura
Juribus intueor, moremque obsistere mori.
Eloquar? an sileam? toto lacrymabilis orbe
Auditur gemitus, pleno cruor aequore manat:
Qua sol exoritur, qua deficit, undique saeva

Exilia atque fugae et tristissima mortis imago!
Non gradus aut sexus quemquam letho eripit: aetas
Nulla fugit, pariterque cadunt matresque virique,
Et pueri atque senes. Saevi praenuncia luctus
Stant tabulis incisa aereis decreta, forisque
Proposita in mediis: stant poenae, vincula, carcer,
Insulae in oceano magno, effodienda metalla.
Quae quondam aethereo splendens ceu lumine lampas
Fulgere debebit, cunctasque fugare tenebras,
Quo se proripiet divina Ecclesia? Tantis
Funeribus, caelum effugiet lumenque diurnum,
Et cum densatis requiescent cuncta tenebris,
Semotas cryptas [23] horrendaque lustra ferarum
Intrabit, natosque parens lugebit ademptos,
Corpora componens placido intemerata sepulchro.
Mox sacros juxta cineres bellare paratam
Progeniem educet, certantum imitamine fratrum:
Inclyta tum summo libabitur hostia patri,
Atque pio gemitu, condensa altaria circum
Pacem Christicolis, pacemque precabitur orbi.
Quin etiam umbrosis exibit saepe cavernis,
Et suetum execerbit opus, medicamina moestis
Addet pectoribus, Christi vulgabit honores;
Et si quaesitor mortem intentabit iniquam,
Firmabit moriens dium liberrima verum.

Hic Petrus indigno percussus corda dolore
Conticuit: pietas dispersi tangit ovilis:
Ipse gemit, pariterque gemit densata corona.
Tum vero audaci nova ceu fiducia menti
Inciderit, tali rursus sermone profatur,
Sublatis oculis ad sidera: Laetior aetas

Adveniat; properate mihi felicibus annis
Saecula, cum terras laeto pax candida risu
Exhilaret; solis radio faecunda benigni,
Vinea caelestis magno revirescat honore,
Ad caelum surgens ramis frondentibus, atque
Alticomo cunctas complectens tegmine terras.
Christe Pater, Christe Omnipotens; miserescito sponsae,
Quae vidua amissos, lacero in velamine, foetus
Conqueritur: sed adest Christus: victoria nostra est.
Quatuor aligeros [24] consistere quatuor oris
Terrarum aspicio: taciti stant aëre venti,
Nullaque commotis turbatur frondibus arbos.
Ales jamque alter primo procedit eoo,
Fertque Dei signum: divina in munia signat,
Continuoque notas et nomina gentis inurit
Fronte super summa. Namquis comprendère possit
Ingentem numerum sacrum ad certamen euntem?
Ite, mei nati: caelo vos adjuvat Agnus,
Qui vicit mortem: victoria certa manebit.
Non fallor, non mente feror: turba ilicet omnis
Omnibus e populis superas adscendit ad auras,
Exultans; alba illa stola procedit amicta,
Victricemque manum palmis felicibus ornans
Jam caelum ingreditur, caelestiaque agmina circum
Funduntur, gaudentque manu deducere sanctum
Ante thronum: sanctis resonat tum plausibus omnis
Aula: Salutari crescat felicior Agno
Gloria: Spiritui sit honor, sit gloria Patri.
Heu! decies infernae acies, romanaque monstra,
Queis dabit ambitio, seu sors praetoria regnum,
Saecula perque tria urgebunt lacrymabile bellum.

Christiadae decies vincent, deciesque resurget
Immotis animis divina Ecclesia victrix.
  Jamque cruentatam furiali principe Romam
Servabit Christus, Gàllaque vocabit ab ora
Ductorem [25], certae fundatoremque quietis.
Ille trahens lectas utroque e littore gentes,
Exuperansque Alpes, gelidae sub tecta Veronae,
Sternet barbaricas hostili caede phalanges,
Arduus, et flavas Tybris contendet ad undas.
Siste pedem undisonum, fluviorum maxime: quanto
Fervere conspicio geminas certamine ripas!
Dum tonat horrendis duplex exercitus armis,
Insuetus splendor summam discriminat aethram:
Orbe nitet medio crucis inviolabile signum,
Quo super: *Hoc signo vinces:* nota scripta coruscat.
Accipe praesagum caelo, dux maxime, signum;
Posthabitis aquilis, pugnaces ante maniplos
Omnipotens Christi labarum sustolle triumphi
In speciem: Christo tanti refer omina belli.
Ad Tiberim hinc acies atque hinc pugnare parabunt.
Omina certa cano. Fractos tremor occupat hostes.
Dum serit horrendam tremefacta per agmina stragem
Constantinus ovans, rescisso ponte, parabit
Transnare objectas Tiberis Massentius undas:
At Tiberis fundo abreptum provolvet in imo.
Tum victus cedet Caesar, victusque Senatus,
Et tu, Miltiades [26], natus melioribus annis,
Orta salutabis divinae tempora pacis.
Tum vero rerum incipiet pulcherrimus ordo.
Pax data Christicolis: Ecclesia fessa tenebris
Ingemere obscuris in aperti lumina solis

Extemplo exiliet, solioque innixa sedebit
Principis invicti solio, qui immania templa [27]
Ingenti sumptu per cunctas extruet urbes.
Qua dominus natus Bethlaeo vagiit antro,
Qua Patrem oravit supplex frondentis olivae
Culmine, qua ternos corpus venerabile soles
Insigni jacuit tumulo, tres extruet aras;
Quoque Crucis reperit magnum et memorabile donum
Limina constituet pariis innixa columnis.
Quid plura? aeterni ipse sequens decreta parentis
Migrabit Roma; Bizantî transferet arce
Imperium. Mihi Roma Petro donabitur: urbe
Pontifices magna auspicium immortale locabunt.
   Vix ea fatus erat, defixique ora tenebant
Christiadae, placido Senior venerabilis ore
Sanctae laetitiae recluso innare fluento
Ultro videbatur, contemplarique futuram
Aetatum seriem. Tanta sed imagine Paulus
Illectus: Sequere, o Pater, eventuraque monstra.
Et nox alta silet, superest jamque amplius otì,
Inclyta fata refer nostros mansura nepotes.
Inclyta fata canam, Senior tunc orsa resumit:
Nec nisi bellando parebit subditus orbis.
Principe pacifero Romana Ecclesia ab umbris
Prodibit tandem, miserandaque tegmina, vestes
Serviles exuta thronum conscendet in altum.
Illa potens rerum populos regesque docebit,
Et dociles unam reges populique sequentur.
Humanae at mentes jam passim equitare solutis
Legibus assuetae, ostensa regione viarum,
Haerebunt? Auctore Deo, Christoque loquente

Confisi Hesperii nebularum incerta cavebunt;
Seu vis ingeniis major, seu vertice lampas
Tarpeio fulgens deliria prisca fugârit.
Graecia nutabit [28], variaque adjuta loquela
Calliditas varios incerta feretur in aestus.
Christe Pater, Verbum Omnipotens, Mundique Redemptor,
Tu vitae jubar aeternae mortalibus aegris
Obtuleras: tuque ipse jubar, tuque ipse futurus
Et vita atque via ingrato depelleris orbe?
Factus homo Deus, et verum de numine numen,
Deque Deo Deus, ipse homini caelum omne recludis:
Tantae molis erat mundum instaurare ruentem!
Teque hominem [29] tantum scelerata insania dicet?
Indomitum monstrum prima prodibit arena
Aestiferae Lybiae; confidentissimus oris
Ille prior magna errorum portenta creabit.
Falsa quin etiam instructus pietate ciebit
Aulam caesaream, et comitatu septus iniquo
Nudabit faciem, quassans horrentia tela.
Quem pugnatorem supera regnator ab arce
Destinat? Ille [30], vides? haud magno corpore celsus;
Magna tamen vultu gravitas, et magna sereno
Pax animo: ille quidem tanto signatur honore.
Pastor Alexandriae urbem sceptrumque tenebit,
Quadraginta annos; neque sancto in munere sanctae
Deficiet menti lux semper vivida contra
Haereseos nebulas, et inexuperabile pectus
Pugnantum contra insidias. Despectus et exul,
E caecis specubus fidentior ipse tonanti
Regnabit voce, et confusa tremiscere cernet
Agmina certantumque odiis, ferroque sequentum;

Imperii quacumque patent confinia, centum
Nuncia defensae mittet praeconia vocis:
Inconcessa homini studiosa indagine dia
Arcana inspiciet; rebus firmata gerundis
Dexteritas illum expediet per acuta viarum,
Et Deus incolumem ducet per tela per ignes.
O quali, Nicaea potens, celebrabere coetu,
Cum Romae Senior [31] fratrum commune vocabit
Concilium, et virtus toto concurret ab orbe
Turbatae fidei integrum defendere pignus!
Adstabit pacis princeps assertor honestaes
Corduba quem educet natum praegrandibus orsis,
Romana astabit missus legatus ab urbe,
Pontificis summi praesentia munera complens.
Haereseos pater ambiguae solemne subibit
Judicium: ast afflans caelo Spirabilis Aura
Dictabit verum: Patrique *Omousios* ingens
Dicetur Natus. Vix sanctum diditur agmen,
Conjuratores latebrosa in furta coibunt,
Quique caput belli fuerit, per crimina ficta
Damnabunt heroa, suaque e sede repellent.
Ille fuga vitam servans, justisque querelis
Cuncta replens, qualis convallibus Efraimi
Levigena exceptos violatae conjugis artus
Bissenis misit tribubus; totum ille per orbem
Fratribus it narrans magnum sponsaeque sibique
Dedecus illatum. Neque tanta pericula rerum
Viderit incassum latia Speculator ab arce.
Virus conspiciens ut serpit latius, atque
Per varias synodos non una it formula consors,
Omnia cognoscet praesens, et lite dirempta

Insontem reddet sanctis Athanasion aris.
Tuque haerebis adhuc, rerum malesane novator?
Ingens extabis saeclis labentibus horror.
Dum latiae ridet suffragia magna cathedrae,
Et, comitante choro, ingenti per compita fastu
Ibit, confestim disrupto corpore lapsis
Visceribus, saevae morietur imagine mortis [32].
  At non tartarei tamen abscessere furores:
Saeviet haereseon rudis indigestaque moles,
Quae Christi sanctam audebunt discerpere vestem.
Qua tamen errorum nigrantia nubila surgunt,
Lux eadem egreditur, totumque illuminat orbem.
Urbs Constantini, Urbs Ephesi, Nicaeaque, tuque,
Inclyta Chalcedon, quis nomina vestra silebit?
Moenibus e vestris seros celebranda per annos
Gloria prodibit; Triados [33] mysteria luce
Lucebunt circumfusa mortalibus aegris,
Christus divino Deus effulgebit honore,
Et te qui terris genuisti, maxima Virgo,
Diviparam ingenti te mundus laude vocabit.
  Qualis ab Aegypti sabulis exercitus ingens
Egreditur! quanta abruptis adolescit in antris
Virtus, tartareis mox congressura catervis!
Austeram ducent vitam: si pugnat Avernus
Ambitione, auro, molimina vana redibunt:
Terram despicient miseram moribundaque membra,
Et diam Sophiam factis animoque docebunt.
Quis vos, illustres proceres, sine laude relinquet,
Antoni, Hilarion, Macari, Paule, atque Pacomi?
At vos desertis, mora nulla, erumpite ab antris.
Horrida quae nubes pharia superastitit urbe!

Noctem disjicite, ingenti obsidione Deorum
Cingite delubra, obscoenos confundite coetus.
Victor io! bellator io! tibi gloria soli,
Christe potens. Qualis *vestit sua pallia pastor* [34],
Mutata Aegypti tellus te vestiet; unde
Manârunt tenebrae; plena sol luce nitebis.
Victor io! bellator io! tibi sanguine fuso
Hoc munus dedit Omnipotens, ut maximus aether,
Et moles terrarum, et styx obtemperet ima.
Constitit hic paulum Senior: pia nomine sancta
Flectit turba genu, vocemque secuta verendam
Pontificis, sanctum canit admirabile nomen,
Unde specus tota assonuit, laetataque vallis.

At dum Relligio luctatur cominus hostes
Dejectura suos, jamque omni jure potita
Aurea Christiadûm soboles florebit ubique,
Dira superstitio duplici devicta triumpho
Colliget extremum sese, et certamine vasto
Vertere contendet retrorsum in pristina saeclum,
Et rerum seriem adverso jam sistere motu.
Quis procul ille oculo incedit transversa tuente,
Impia foemineo simulans mendacia luxu?
Olli hirtus crinis, prolixa hirsutaque barba,
Et sapiens dici cupit, aut potuisse videri,
Dum comitum coetu media defendit in urbe
Cecropidûm veterum simulacra obscoena deorum.
Jure putas, Basili, si regni affectat habenas,
Fatalem puerum [35], augustis genitoribus ortum,
Funestum fore Christigenis. Magna imbuet aula
Christiadûm sacris: seris mutabitur annis,

Et patrium ascendens solium, lethale venenum
Evomet, et saeclo indicet nova bella recenti.
Quam Constantinus figet legem, ipse refiget:
Tradita Christigenis bona, ne jam debitus aris
Deficeret splendor, lectis neu vita ministris,
Abstrahet, inque vicem sumptu pascetur opimo
Foeda superstitio, fanisque opulentia crescet.
Quin etiam spes crescentes primo auferet ortu:
Christiadûm pueros ludis prohibebit honestis,
Irrita ne veterum riderent somnia vatum.
Ethnica Relligio imperio vulgatur in omni.
O rerum ignarus! Romanos ipse triumphos
Et genus antiquum memorat, pugnataque bella,
Dum collapsa ruit mavortia Roma, statusque
Civilis populi, fractis compagibus, omnis
Defluit, obticuitque forum, obticuitque senatus,
Et capitolinus vacua stat Juppiter aede.
Mox maior Mystes positis altaribus ipse
Mille sacerdotes statuet, magnaque corona
Praecinctus Phoebo sua sacra, Jovique litabit.
Horrea si desint, romanos Ostia cernit
Adventare magistratus ad Castoris aras,
Atque iterum Salii mentita ancilia motant.
Quo vero in vacuum recidant oracula Jesu,
Judaeum Solymis templum instaurare parabit,
Fundamenta locans [36]. Conamina vana! Refossis
Erumpent flammae specubus, tonitruque tremiscent
Viscera terrarum. Stant interrupta laboris
Tentamenta: fabri infesta tellure recedent.
Praecipue cupiens saecli eventura futuri
Noscere, falsiloquos vates, Delphosque silentes

Consulet, et Daphnes quaeret divina fluenta.
Fidet in auguriis, quae caeli sidera monstrant;
Solerti volucrum cantus indagine signans,
Et pecudum execto speculatus corpore fibras;
In somnis divos spectare videbitur, atque
Ore frui, et vocem nocte exaudire silenti.
At tibi sortilegi vates, Rex impie, casus
Non poterunt monstrare tuos, certamque ruinam.
Namque ferox numero bellantum et robore nixus
Aggreditur Persam horrendo submittere bello.
Per densos nemorum anfractus, perque horrida lustra
Erranti nullum praebet fortuna regressum.
Dum pavitans ruet huc illuc, lethalis arundo
Transadiget pectus mortali vulnere: saevam
Evomet ille animam, et *vincis Galilee:* profatur [37].
Vicimus: eja agite, o proceres, pacata recurrunt
Tempora, securi magnis insistite coeptis.
Quae jungunt populos foedis socialia divis
Vincula, jam tempus postremo excindere nisu.
Quem video juvenem [38] Antiochi refluentia luxu
Moenia linquentem, nemorisque obscura petentem?
Illum mater amans lacrymis deducet obortis
Ad thalami spondam, justisque effusa querelis,
Moesta diu quaerit juvenilem avertere mentem.
At fletu nullo, nullo sermone movetur:
Qua vox caelestis domini imperiosa vocabit,
Per nemus umbriferum studiis incensa parabit
Pectora. Non celata diu sed tanta manebit
Virtus: egressus tenebris, magnaque nitescens
Doctrina, praeerit sacris Antistes, et aris.
Quae magno scatet ingenio sapientia! quanta

Gratia stat labris! dices fluere aurea ab ore
Flumina, sive hostes magno quatit impete foedos,
Sive docet sapiens vitae documenta beatae,
Seu laudat caeli stellata in sede beatos,
Seu parat humano lenimen dulce dolori.
Quos video ingenio celeres, animoque volenti
Paene pares doctos Pyraei tangere portus?
Ceu gemini ex uno manantes pumice rivi,
Obliquo postquam erraveré per avia gyro,
Eodem conveniunt, varia regione creati [39]
Fratribus adsimiles mediis versantur Athenis,
Atque eadem ambobus sapientia quaeritur: unus
Est amor, et gemino mens una in corpore concors.
Ponticus ille forum scopulosis syrtibus horrens
Effugiens sequitur per inhospita tesqua latentes
Christi cultores. Soror ut Macrina recedet
Desertam ad cautem meditari abscondita rerum,
Et canere arcanum caelesti carmine Sponsum;
O Gregori, et Basili, sanctissima pectora, densi
Vos etiam saltus, eadem deserta vocabunt,
Innumeros vestro moderantes numine fratres;
At mox silvestri simul egredientur ab umbra:
Alter Caesareae pastor sacrabitur, alter
Nazianzi primum Antistes dicetur, et inde
Urbs Constantini excipiet. Quo lumine pulchro
Fulgere conspicio grajo haec duo sidera coelo?
Quanta per adversos casus constantia ducet?
Impavidi vadunt in praelia paene gemelli.

Occiduos inter, natosque oriente feretur
Non levis ingenio, praestansque prioribus Heros
Dalmata [40], qui Romae eductus, Syriaeque, Arabumque

Per deserta errans, magna exemplaria, sanctos
Sylvicolas viset, vitaeque austera beatae
Commoda scrutatus lucos habitabit opacos,
Atque palaestinum scopulis pendentibus antrum.
Hic flebit curis animam maceratus amaris.
At te jam dudum tenuere silentia: soli
Numne tibi natus? desertam desere rupem,
Civiles iterum coetus, age, vise: reposta
Auctus doctrina, antiquae caliginis umbras
Disjice: splendidior toto sol fulgeat orbe.
Romanum ad solium peragrato oriente vocabit
Maximus Antistes, divina volumina tradens
Lustrare, et latiam hebraeae conferre camoenam.
At te, magne.Heros, romana pericula terrent,
Rara quies nemorum menti obversatur: euntem
Sectantur comites praeclaro e sanguine natae,
Sancta Palaestinae quae implebunt culmina, tuque
Orantes regis, et sacrarum abscondita rerum
Explanas. Sanctae repetent tua carmina olivae,
Bethleaeque specus, magni loca conscia partus.
Quis procul ille autem, Nolae sub rupe cavata,
Martyris invicti ad tumulum natalia mittit
Munera, funereum carmen, lacrymasque calentes?
Sacrati vatis vultum, dioque furore
Incensum nosco: qui magno nomine clarus
Felici dudum Gallos ditione tenebit,
At mox vicinas Hispanûm tendet ad oras;
Praesidis officio, jam conjuge dives Ibera
Cum primis magno rerum certabit honore.
At non divitiae, non stemmata clara, decusque
Ingens connubii poterunt explere petentem

Nobiliora animum. Christi nova Roma triumphis
Inclyta Christiadûm capiet sponsamque virumque,
Et sacro irriguam tergent baptismate frontem.
Et mox advenient, qua Padus largior arva
Inter opima sonans magno fluit agmine aquarum;
Pontificisque pii magnis hortatibus acti
In nemus umbriferum fugient, qua proxima Nola.
Ignavo quondam dives Campania luxu,
Thebaidi assimilem vitae asperitate severae
Constituet lucum, et sacris cultoribus omnis
Crebrescet regio. Tibi, Felix, inclyte martyr,
Assurget templum, sacris insigne figuris,
Qua positam simul agricola et peregrinus ad aram
Orare advenient, et sanctum exolvere votum.
Qualis ades, quantusque mihi, sanctissime praesul,
Ambrosi [41], decus Hesperiae! te maxima virtus
Eximet a populo, urbanosque relinquere fasces
Jussum, Pontificem sanctas adducet ad aras.
Captivos redimens, inopes solatus et aegros,
Regales inter fastus, humilisque popelli
Pauperiem extabis medius, truculentaque solves
Judicia, et reges ipsa terrebis in aula,
Portendens justas caelestis vindicis iras.
Ipse manu forti cultus malesuada profani
Indicia excindes. Qua cogit Curia patres,
Per te divinos victoria [42] perdet honores.
Ut te, magniloquens Afer [43], nunc pectore toto
Suspicio! quot sancta parens suspiria fundet,
Quot lacrymas, quo sese oculis densissima nubes
Rumperet, et ratio divina luce niteret!
At vincent matris lacrymae! jamque aurea lingua

Caelicolas contra toties exercita, magno
Conventu Lybiae sacrarum abscondita rerum
Lustrabit, caeli ostendens nova regna futuri.
Ut socios quondam fandi doctissimus hostes
Inconcusso animo evertes! Neque laudibus unquam
Certarîm, Augustine, tuis! tu maximus ille es,
Quo sacra res quondam requiescet tutius uno!
Nec minus ardentem, pollens Aquitania, vocem
Praebebis: sancta stabit Pictavius aede
Hilarius magnae spectatus robore mentis.
Insidiae nullae poterunt mollire severam
Doctrinam: summis fando pugnabit in aulis
Insigni eloquio. Rhodanum fervere minacem
Dices, et magno spumosum vortice stirpes
Diruere et scopulos, et plenum erumpere in aequor.
At quae romano in solio praeclara sedebit
Gloria Pontificum? Gregori, te grata vocabit
Posteritas merito factis, et nomine magnum.
Pollens eloquio, rebus spectatus agendis
Ille animo occiduum, eoumque amplectitur orbem;
Discidia extinguet, submotis inferet oris
Christi legatos, magnae radiantia fundet
Lumina doctrinae, debellabitque superbos;
Utque supercilium, et fastus deponat inanes
Graecorum ambitio, primum se nomine dicet
Servum servorum: sed graeca audacia cedet?
Sancti silvicolae, abruptis migrate cavernis,
Jam licet, et veteris figmenta evertite cultus.
Ipse Serapaeum [45] pharia sacrabis in urbe,
O Theophile, Deo: et Syrio candente, videbit
Aegyptus Nilum majores volvere fluctus.

Ipse Jovis sedes Apamaeae dirue in arce,
Marcelle; en validam rapiet indefessa bipennem
Densa cohors, ridens veteris deliria mentis.
Et tu, Pannonia natus, castrisque relictis,
Ad Christum fugiens, lucos excinde profanos,
Turonis, Martine, decus, jamque ethnica sacra
Gallica progenies cunctis evertat in oris.

Substitit hic Senior numero laetatus ovanti,
Et veluti subiecta oculo loca, facta manerent,
Graecia, te crebro meminit, te Hispania, teque
Gallia: Jamque, inquit, nitidis tot solibus aucta
Europe nullas horrebit postmodo nubes.
Nec minus exultant oblata stirpe nepotum
Mirati socii: at rursum vix ignea Petrum
Corripit, et rursum fatis sic ora resolvit:
Qualis ab aurora vortex, et qualis ab arcto
Turbidus erumpit? Veluti per pinguia culta
Funduntur celeres, examina densa, locustae,
Quae viridi insidunt culmo, et cerealia vastant
Munera, ruricolae spes dulcis fallitur anni;
Barbaricae [47] gentes submoto oriente propinquant,
Ethnica labentis rapturae rudera Romae.
Effringunt aliae Tanais torrentia claustra,
Danubii ripis aliae versantur utrisque,
At pavidi patria domini regione recedunt:
Alternas acies vastis Germania campis
Excipiet. Jam sede sua contenta morari
Quit gens nulla hominum [48]. Superat violentior Anglus
Proxima terrarum, mutatque Britannia nomen:
Gallia victorem patitur, Francusque potenti

Eripiet populo prisci cognomen honoris;
Pannoniae campos vastator nominat Hunnus.
Quid gelidas alpes, et saxa minantia caelo
Objecit natura parens [49]? quid littora sacrae
Ausoniae circum spumantibus ambiit undis?
Non tangenda ferox vada saevo transilit ausu
Barbarus, Italiam excitus concurrit in unam.
Aggeribus quosnam alpinis descendere cerno
Horrendos equites! Scythiae bellacis alumnos,
Impuram sobolem nosco: Deus ipse flagellum
Italiae adducit rapido velocius euro.
Quid poscunt reges contecti pelle ferina?
Barbarico induti pileo, viridique colore
Intincti contra stant omnes moenia Babel.
Siste ingens monstrum: jussit Leo, longius iras
Cursare indomitas prohibens: mea Roma manebit
Vexillo protecta crucis: nova Roma, manebis;
Barbariem evinces, gentesque in templa vocatas
Sylvestri educes cultu, victuque ferino,
Civilisque modos vitae, divinaque jura
Edoctas sacro tinges baptismatis amni,
Et juvenes animos tua sub vexilla vocabis.
Occiduae vix Roma potens delere parabit
Semina barbariae, et fibris defigere in imis
Austerum morem, et sanctae traducere vitae;
Ecce autem Arabiae [50] arenti tumefactus arena
Barbarus alter adest. Diro corrupta veneno
Dogmata Christiadûm, calidoque accomoda caelo
Circumquaque serens, genus Ismaële profectum,
Sanguinis, atque auri cupidum ad novà bella ciebit,
Plurima promittens renovato gaudia caelo,

Si vatem caelo emissum sequerentur, et actos
Undique Christiadas ferro flammaque necàssent.
Nec mora nec requies. Socio simul agmine ductor
Invadet terras dextra laevaque jacentes,
Subjectosque sibi ferroque fideque vocabit
In partem imperii. Tremet Africa terra cruentis
Agminibus peragrata, tremet subversa ruinis
Aegypti regio: Asiacas se effundet in oras,
Doctrinam bellator Arabs, et funera spargens.
Et maiora petens, successu elatus iniquo,
Impius, hesperium sese convertet ad orbem,
Perque mare illatis propius circumfremet armis.
Ecquem Roma vocet tanto in discrimine? quamnam
Implorabit opem? Celeri qua Sequana cursu
Volvitur [51], umbrosas inter nemora avia silvas
Parvula gens crescet, studiis asperrima belli.
Ductor in ancipiti positus discrimine spondet,
Si victor foret, amplecti vexilla, fidemque
Christiadûm: vincet porro, promissaque servans,
Illico lustratur sancta baptismatos unda.
Quanto Francorum fremitu, studioque sacerdos
Maximus [52] excipitur! Quantum laeta ora tueri
Gaudebunt gentes! solio succedere opimo
Ipsum cerno ducem. Sponsorem adducit ad aras
Longaevus Senior, sanctoque perungit olivo
Francigenam [53] regem, et dio diademate honorat.
At Patre maior erit natus, latumque creabit
Francorum imperium. Bello insuperabilis omni,
Qua regni tutam turbabit cumque quietem
Barbaries [54], ibit: triplicato fulmine sternet
Saxonas, et legi coget parere latinae.

Pyrenes scandet cautes Arabasque feroces
Contundet, cohibens brevioris limite campi.
Atque ubi compositis requiescet Francia bellis,
Exuperans Alpes, et patri mutua reddens
Officia, ostendet data fata nepotibus, atque
Pro Roma pugnans Capitolia sacra fovebit.
Unius imperiis cedet tremefacta superbae
Dira superstitio Arabiae; fámulabitur uni
Arctica barbaries: cunctis servata periclis
Proposito incoepto Romana Ecclesia stabit.
Quin etiam, insigni quo majestate verendus
Sincerae interpres fidei, morumque magister
Proderet eloquium veri, populique volentes
Parerent, Petro imperium donabit habendum
Servatas urbes. Proprio jam libera regno [55]
Exere securam caelo frontem; indue, Roma
Regnatrix, tutae magna ornamenta quietis,
Quae medio enixa es genitrix sanctissima luctu.
Jamque age quid metuis? totus te suspicit orbis
Verae custodem lucis, rectique ministram.
Omnia barbarico dum vastat acinace dira [56]
Saevities, medios sacra turba feretur in enses,
Eloquio pacis, doctrinae simplicis igni
Disjiciens saevi sylvestria semina moris.
Barbarus insueta mollescet imagine victus,
Et mox Christiadûm felicia castra subibit.
Horrore in medio latitantia claustra patere
Virginibus cerno: cerno solamina mille
Afflictis dominis sacris excedere ab aris.
Civica seditio primores urbe repellet?
Ad templum fugient, templo pax unica stabit.

Pastorum in primis virtus novitate recenti
Percellet; patres populorum cuncta pericla
Ejicient, aegros visent noctuque diuque,
Et dum terrenas satagent detergere sordes,
Commissas pecudes sueta dulcedine pascent.
At lectos proceres saeclo turbante morari
Taedebit: patrio quaerentes vivere caelo
Corpora compescent elementaque prava, sed altas
Extollent animas diae virtutis amore.
Saepius agricolae fient, et barbara discet
Illorum exemplo asperitas, qui cultus agrorum.
Te memorabo libens, claustrorum magne magister
Et genitor, Benedicte [57]: potens te Nursia Romam
Mittet, uti ingenuae clareres luce minervae.
Sed castam rapiet divinior aura juventam,
Et dictante Deo, Casini culmina scandis,
Eversoque Deûm cultu, penetralibus altis
Laetam progeniem excipies; noctemque diemque
Dius sideream surgit concentus in aethram;
Territa barbariem fugiens sapientia foedam,
Auspice te, montis nemorosa cacumina visel,
Qua vigili fratrum studio defensa manebit.
Vertice ab umbroso cunctas manabit in oras
Exemplum. Sanctum praeclara Britannia morem,
Atque virens Erine excipiet: replebitur omnis
Gallia: certabit magnis Hispania septis,
Intactisque domos sylvis Germania centum
Constituet. Superat cunctos praestantior Anglus [58].
Non cadet ille animis, primo in certamine victus;
Nomine mutato, Romae auxiliaribus armis
Invadet Frisiam: Druidum quae credita sacra,

Annosam evertet quercum, lignisque resectis,
Ingens constituet templum, et tibi, Christe, sacrabit;
Et positis Fuldae castris exercita pubes
Protenus exibit falsos evertere divos.
Magnanimi salvete patres, primique statores
Coenobii occidui: quis vestra exempla secutos
Enumeret? Per vos generi tutela caduco
Constabit: per vos coenum deforme perosae
Assurgent animae caelo, nativaque cinget
Gloria, et aetherei libabunt aëris haustus.
Incubat everso sed dira inscitia saeclo [59].
Gentes obscura languescunt nocte sepultae;
Ipsaque funesto squalens Ecclesia nimbo
Colluvie in misera amisso pallescit honore.
At mala in augusto grassari plurima templo
Omnipotens linquet, ne sacrae splendida sedis
Limina, Pontificum sola virtute stetisse
Crediderint. Regum improbitas, haeretica tela,
Effera barbaries, atque ipsa domestica probra
Non poterunt sacrum solii pessumdare robur.
Fundamenta Deus posuit, Deus ipse tuetur.
Dum tamen obnubit tanta ignoratio mentes,
Tanta rapit mores feritas; (spes una relicta
Naufragio in misero) haerescunt romana medullis
Dogmata. Squalenti errantes caligine gentes
Romae Pontificem summo venerantur honore:
Atque allata Deo sacrati abscondita veri,
Mutatis animis, divinitus orta fatentur.
Una fides superat: mediis tutabitur umbris
Una fides lucem; laetam feret una salutem.

Qualis ubi genuit vasti primordia mundi
Omnipotens Opifex, incondita semina rerum
Pugnabant certis nondum constantia formis:
Spiritus affusas tantum super igneus umbras
Errabat, flatuque fovens, et foedere certo
Innectens, donec vultu natura sereno
Unica prosiluit, variis expressa figuris;
Haud aliter totum diversa elementa per orbem
Una fides jungit; mundi melioris origo
Sponte sua perget, Deus aethere ducet ab alto,
Aptabitque vias. Quae nostra in sede sedebit
Vis nova Pontificum! Nosco insuperabile pectus
Magni Ildebrandi [60]. Qualis composta tumenti
Stat pelago rupes, Heros fortissimus omnes
Despicit insidias, fraudes contemnit iniquas.
At tu tres primum leges sancire memento:
Illecebris saecli sanctos secerne ministros:
Conjugium prohibeto, inconcessosque hymenaeos,
Et simoniacae dele vestigia labis.
Munera sacra piae virtuti praemia sunto.
Civiles mores meliori reddere formae
Ipse volens, custos incorruptissimus omnem
Rem sacram esse jube sanctam, sancteque tuendam,
Nec concede manus quidquam attrectare profanas.
Salve, magne Parens, primorum gloria salve
Pontificum. E solio rapere, horrendoque tenere
Carcere calliditas poterit malesana potentum;
Ast ubi secura requiesces sede Salerni,
Jam moriens, vitae studium ipse fatebere: *Certo*
Justitiam dilexi animo, et scelus omne perodi,
Exiliumque libens ideo, mortemque subibo.

At quinam hesperio superemicat ignis ab orbe,
Et cunctos animos Aurorae impellit in oras?
Proh pudor! Odrysiam lunam consurgere graeca
Segnities impune videt, Syriaque revicta,
Latronum longe lateque extendere regnum.
Impia saevities afris demessuit oris
Christiadûm vires, Asiaeque uberrima regna
Stricto diripuit gladio, finesque minata
Hesperios, multa internum mare classe peragrat.
Corduba crudeli paret pessumdata Mauro,
Bellipotens Crete, atque acris Trinacria paret:
Et nunc innumero completae remige naves
Obvertunt Tiberi proras, romanaque spectant
Moenia. Terribilem cernunt resonare ruinam
Hesperii, et fratrum pietas, et dia lacessit
Relligio, Christi sanctum servare sepulchrum.
At te, principium motus, te, Francia [61], poscet
Roma: age responde, natu prior ipsa, roganti.
Ecce autem Francam veniet peregrinus ad urbem
Romanus Senior; magno spectante senatu,
Cleromontana synodo regesque ducesque
Exacuet: Deus ipse velit, parete volenti.
Omnes accipient jussum; omnes pectore figent
Signa crucis. Thurcam jam conjuratur in unum.
Tunc primum pateat, quod tot labentibus annis
Ingens per vastas romana Ecclesia terras
Maturavit opus. Europen missa per omnem
Vox sonuit, subitoque gravi velut excita somno
Exilit Europe concordi foedere juncta.
Excitus arma fremit Tagus, et sociata resultat
Murmure Pyrene: gelido fremuere sub axe

Non timidae lethi gentes, Danusque, Svecusque,
Et quot hyperboreis tellus adoperta pruinis
Irrequieta fovet densis Germania sylvis
Agmina; submoto respondent orbe Britanni.
Tantum defuerint Graji, caecasque Latinis
Insidias meditabuntur! Prior omnibus exit
Francigena, atque aulas penetrans, et limina regum,
Christiadûm mala narrabit: vox una, redempti
Principium mundi, tumulum servare verendum.
Nec porro hesperiis deerit victoria coeptis:
Candida Crux iterum solymaea effulget in arce [62].
Ast hic sermones medios abrumpere magnus
Cogitur orator: pugnae gravioris imago,
Magnaque miratas adeo victoria mentes
Excussit, toto ut plausus quamplurimus antro
Obstreperet: cuncti praegrandia facta stupescunt.
Subridet Petrus, accenso superemicat ore
Flamma rubens: et vix turba obsequiosa silescit;
Ast alias referet palmas aliosque triumphos
Dia fides, coepit Senior: majora supersunt,
O socii; Jesu miranda stupescite facta.
Jamque adeo victrix, submoto oriente subacto,
Fortior exibit romana Ecclesia: gentes
Innumerae magni lactantur imagine Patris:
Quod minime remur, Germania bella parabit.
Infelix soboles Regum! sat regula justi
Injustique fuit procerum suprema voluntas!
Relligio an major, majorne potentia regni [63],
Lis agitur: nequeunt augusta oracula ferre
Indociles: renuunt Romae parere jubenti.
Regibus et populis communia jura Redemptor

Tradidit, et Romae custodia certa tenebit.
Quaenam illaudatos ventura reliquerit aetas,
Quatuor heroas? solidae fundamine petrae
Innixi pro lege Dei, pro jure resistent,
Et cum nulla manet spes pacis, foedera nulla
Expediunt, Vaticani de vertice summo
Vibrabunt caeli non evitabile fulmen.
Subjectam avertent gentem, et socialia solvent
Vincula, iuratamque fidem. Pugnate valentes,
Magnanimi heroes, funesto tempore missi
Turbatam tractare ratem, Tuque accipe laudem
Praecipuam, *innocuo* qui duces nomine famam
Tertius [64], illustrem virtus doctrinaque magna
Te faciet: summos per te aggredietur honores
Rerum Roma potens: reges moderabitur ipsos.
Tum vero ausonias demens discordia terras
Hinc atque hinc odiis in mutua fata ciebit!
Causa mali tanti germana ab origine: partes
Seu quis Pontificum, seu quis tueatur iniqui
Imperii. Geminum [65], fatalis tessera, belli
Nomen; seditio Italia desaeviet omni,
Opponetque domos domibus, atque urbibus urbes:
Turbabunt populi dominos, dominique cruento
Imperio urgebunt populos: dum cuncta labascent,
Turbine praecipiti, rapidum ipse feretur in aequor
Romanus Pater: ipse gradu, certamine tanto,
Dejicitur: tandem, rerum superantibus undis
Deseret Italiam, et Gallûm contendet ad oras [66].
Quales hebraei ad babylonia moenia vitam
Captivi miseram traxere: per extera regna
Passi servitium, patriae castella Sionis

Et templum augustum, et Jordanis sacra fluenta
Assidue optabant: solo suspensa salicto
Organa servantes, alienis carmina terris
Dicere taedebat; Rhodani spumantis ad undam
Error habet totos quinquaginta [67] avius annos:
Vos iterum Tibris, vos maxima Roma requiret,
Pontifices; colles, et collibus addita Roma
Obvenere Petro. Externis ne fidite regnis.

Jamque adeo horrisonis turbis, miseroque tumultu
Saucia Roma, tamen geminato robore crescet [68]:
Vesperum, et eoum sancto amplexabitur igne,
Partita innumeras per plurima castra cohortes,
Quae valeant Christi firmum protendere regnum.
Christigenas alii Solymae loca sancta petentes
Hospitio excipient, inopes, aegrosque juvantes
Auxiliis: alii sanctae vexilla capessunt
Militiae, et pugnant sacrae telluris amore,
Atque feros contra Turcas non irrita tela
Projiciunt: alii divortia lata viarum
Tutantur, contra obstantes; Germania sanctis
Diviparae auspiciis fortes in bella remittet
Teutonas; at pietas faustis penetralibus ignem
Concipit insuetum, atque opera ad caelestia surget.
Hic Falcone satus Triadis sub nomine, et ille
Recaudi, tecti Jessaeae nomine Matris
Captivos solvent vinclis, mercede soluta,
Et vitae, et fidei benenato pignore donant.
Quem Calaroga virum faecundo flumine linguae
Pollentem mittet stygias pulsare tenebras?
Ingentem sobolem eloquio et virtute potentem

Heros magnanimus penetralibus educat umbris,
Qui, duce Divipara, contraria tela repellent,
Erroresque novos: exorto lumine, foedam
Gallia nequitiam expellet. Mox itala tellus
Assisio [69] mittet, qui Christi jussa secutus
Gaudia terrarum spernet, gazamque paternam
Projiciet, dia se paupertate recondens.
Alverni juga dura colens, sacra stygmata membris
Effigiemque Crucis referet; mox indiga castra
Ingens natorum soboles exempla propagant
Virtutesque novas, populique ignava reprendunt
Otia, et aethereis animas hortatibus implent.
Scilicet Europae toto se corpore miscet
Spiritus ignipotens, totosque infusa per artus
Mens agitat passim sanctae spiracula vitae.
O quaenam gemmis radians, auroque corona
Hesperio arctooque simul contexitur orbe,
Romanae matris frontem ornatura comantem?
Hungaria armipotens, beneculta Polonia! quaenam
Mascula vivaci juvenescit pectore virtus!
Anglia Pontificum serie exultabit honora:
Divorum delecta domus Hibernia fiet:
Nec Scotia innumeris comitata sororibus audet
Christiadûm ingenti se dissociare triumpho.
Aspera quis nôrit feritatis signa vetustae,
Dania? cognatis certabit Scandia curis,
Quaeque mari submota jacet, longoque recessu
Suecia; sed cunctis Germania laeta praeibit;
Antiquae quo forma jacet virtutis imago,
Romanum imperium [70], surgenti maxima rupes
Barbariae opposita, et fidei tutela latinae.

At te praecipue obsequio venerabitur omni
Hostilis quondam, nunc cernua turba sororum,
Italia: ingenuo surget Respublica motu
Plurima: ab Adriacis pollens Regina lacunis
Attollet summis in puppibus arma Leonis,
Quem Marcus semper praesenti numine ducet;
Tyrrhenoque mari pandet victricia signa,
Armipotentem equitem [71], Ligurum fortissima tellus.
Felices nimium, si vitent aemula laudis
Spicula, nec geminas in mutua damna triremes
Imprudens calor exacuet! Jactantior Arno
Prodibit patrio sociis armata catervis
Pisa, et floriferos Matris, velut inclyta Amazon,
Ornabit colles: extremo margine stabit
Ad medium conversa diem cedroque virenti
Umbrata, Ausonidûm custos, ditissima Amalphis,
Cui Nauta [72] ingenio ante alios solertior omnes
Praescia turbato ostendet moderamina ponto,
Pyxida signantem ventos, et sidera et undas.
Ternos amplexae fluctus, tres littoris oras,
Longius aerisonas audent immittere classes,
Et victi incedent spoliis orientis onustae,
Aegaeo regnare mari, Arabiaeque latronem
Frenare, et late Christi diffundere nomen.
Quanta tuae, Jesu, monumenta insignia dextrae!
En lupus [73] atque agnus septis requiescere in îsdem
Lactantur, vitulique simul pascentur et ursi
Margine pratorum: servabit ovilia Pastor.
Et tantum infensa Byzantî [74] saeviet arce
Seditio, et latias animo aspernabitur aras?
Heu! tellus eoa retro sublapsa feretur.

Quot foedos partus genitrix male foeta creabit!
Effringent alii statuas, et ahenea signa,
Coelicolûm sacros vultus referentia terris,
Indignumque nefas romano dogmate sanctis
Rentur imaginibus meritos imponere honores.
Ast alii, postquam contra Natumque Patremque
Effundent virus, sacrati Flaminis auram
Invadent miseri. Permiscens sacra profanis
Aula per incertos ibit mutabilis aestus,
Et dum quadrijugos circensi pulvere currus
Educet, varioque ruent dipicta colore
Agmina, victorique color sua praemia gignet,
Sensilibus mentes formis per inania raptae
Inconcessa homini mysteria pandere quaerent.
Dum magis, atque magis devexo pondere nutat
Imperium, gliscitque animis dementia maior,
Munere promisso indignus viduabitur haeres.
Praelata heu! quondam tellus, prior orta, prioris
Amittet generis titulos, et nobile fatum.
Ex quo Pontificum Romae firmata cathedra,
Omnis vita viget Romae; qui temnere Romam
Audebit, viridi rescissus ab arbore ramus
Arescet, squalens aevo, macieque senescens,
Et fera barbaries miseros depascitur artus.
Graecia ab occiduo prorsum se dividet orbe.
Indigna Occiduus flebit divortia, certae
Prospiciens propius manifestae signa ruinae.
Instat Turcarum gens barbara. Caspia claustra
Exuperans, Persim evertet, Syriaeque peragrans
Cappadocumque agros Asiaeque uberrima regna,
Ipsius Europae sese mox flectet ad oras,

Graecum quacumque imperium crudeliter urgens.
Omnipotens poenas infida e gente reposcet.
Quales Hebraei, natae quod lumina luci
Clauserunt, templum augustum, regnumque paternum
Amisere, jugum externum malesana subibit
Graecia: bellipotens tremefactam exercitus urbem
Opprimet; Eoi regnatrix inclyta mundi
Millenos dominata annos ruet obruta: Graii
Extorres patria, hesperidûm per regna, per urbes,
Barbariae errabunt perpessi vulnera, magnam
Undique monstrantes divini fulminis iram.
Dumque vident Turcas [75] cineri insedisse supremo
Languentis patriae, miseris spes unica restat.
Qui Sol Hesperiis fulgens dominabitur oris!
Una fides totam Europen communibus aris
Vinciet, una dabit menti cordique quietem,
Una trahet populos regesque ingentibus orsis.
Salve, dia fides: caelesti e mente creatam
Gratia te gignit: nulla mercede mereri
Te quimus, sed sponte Pater concedit habendam.
At tu, caelestis custodia maxima veri,
Dogmata tutaris cunctas superantia vires
Naturae, Omnipotens tibi quae concredidit auctor,
Qui nunquam falli, qui nunquam fallere quibit.
Tecum una, coetuque tuo comitante sororum
Lustratae in terris animae aeternae omina vitae
Concipiunt, nostris quae meta laboribus una.
Et ratio, accisis quae infirmior hactenus alis
Decubuit, tibi jamque soror, gemino edita partu,
Exurget reparata, tuoque adjuta nitore.
Eja praei, veluti lumen quae monstret eunti:

Ipsaque praescriptos peragrabit libera campos,
Audens naturae arcanum sustollere velum,
Et caeli explorare vias, cordisque repostas
Humani latebras, primaevaque semina rerum.
Tunc media Italia silvestri exibit Aquino
Sol ille, aethereo qui affusus lumine cunctas
Exolvet nebulas, Sophiaeque arcana retexet
Spicula divinae: terreno corpore visus
Angelus aethereis libabit fontibus haustus,
Et nova prodibit sanctis sapientia labris
Completura suis omnem splendoribus orbem.
Mutatae interiora animae molimina pandit
Vis fidei, exultatque foras, cordisque repostis
Motibus exterior cultus respondet imago.
Quas graja extuderit pulchras mens vivida formas,
Templorum facie, mollemque humana voluptas
Sensum inspiràrit, forma graviore recedent:
Intus agens vis arcanis egressa loquelis
Augusto sensim consurget corpore, ternas
Auxilio extimulans ad magna inventa sorores [76].
Urbibus in mediis super aedificata domorum
Culmina consurget moles altissima templi,
Atque Deum versus, fastigia summa, minaeque
Multimodae tendunt praeacuto vertice in auras,
Qualia sustollent animae suspiria caelo.
Namquod suaviloquo resonans modulamine oberrat
Murmur, perque cavam passim diffunditur aedem,
Suave movens animas, tumulisque immota piorum
Corpora demulcens? Propter solemnia nata
Organa dulce sonant media testudine templi:
Unica vox intus vario discrimine voces

Exprimit innumeras; turri pendebit ab alta
Aeris honos, pulsansque suis tinnitibus auras
Christiadûm ritus cunctis signabit in horis.
Una fides populos, vox advocat una: vocatos
Idem concentus terrestre relinquere coenum
Imperat, et caeli dat gaudia nôsse futuri.
Romanum eloquium fato servabit iniquo
Christiadûm genitor: toto complexus in orbe
Christiadùm populos linguis diversa sonantes,
Ne quae praelata ingrueret discordia lingua [77],
Et sermone uno natos comprenderet omnes;
Eloquium exitio servat vetus, atque latinae
Majestatis honor facundo sanctior ore
Pontificum, arcani vulgabit credita veri,
Quod cunctas uno sociabit foedere mentes.
Constitit hic Senior: ceu si miranda sederet
Ante oculos rerum effigies, stupefactus inhaesit;
Et stupefacta piae tenuere silentia turbae.
Quae vaticano nova surget gloria colli!
Jam neque agonales circensi pulvere ludos
Auriga educet, neque luci impune silentes
Horrida celabunt humanae opprobria sortis.
Omnia mutabunt venientia saecula: tellus
Quae rubet innocuo lucescens sanguine, surget
Magna Dei domus, et terrena maior in ora
Et venerabilior. Dominus sua templa replebit
Maiestate sua, occasuque vocabit et ortu
Submotos populos, eadem qui altaria poscent
Unanimes, eademque precum donaria sistent,
Qua prior attulerim mea sceptra vicarius, atque
Nunquam casuri perfeci moenia regni.

Constitit hic iterum, neque longius ire notata
Ante fores templi patitur sua gloria: nomen 78
Conspectat PETRI ET PAULI: tacitusque quievit,
Atque humilis, caelumque tuens: Sat gloria nobis,
Per nos dia tuum si vestit gloria nomen.

NOTÆ.

[1] *Simulacra prioris* — Cant. Habac. 3. Sol et luna steterunt, in tabernaculo suo; in luce sagittarum tuarum, ibunt in splendore fulgurantis hastae tuae.

[2] *Mercede locavit* — Matth. XX, 8. Cum sero autem factum esset, dicit dominus vineae procuratori suo: voca operarios, et redde illis mercedem, incipiens a novissimis usque ad primos.

[3] *Te Dionysi ingens* — Gravissima inter Gallicos ipsos Scriptores est quaestio isthaec de primo parisiensis Ecclesiae Pontifice. Nos Baronii opinionem secuti sumus, cui auctores non inferioris profecto subsellii adstipulantur — *Video per castra*. Subita christianae rei rincrementa veteres omnes describunt, praecipue Tertull: Apolog. 37. Hesterni sumus, et vestra omnia implevimus, urbes, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, Palatium, Senatum, forum: sola vobis reliquimus templa.

[4] *Finire labores* — Svet. XLIX. Jamque equites appropinquabant, quibus praeceptum erat, ut vivum attraherent. Quod ut sensit. . . ferrum jugulo adegit, juvante Epaphrodito a libellis.

[5] *Solyma* — Iisdem pene verbis Jesus apud Luc. 19. Hierosolymorum deflevit intèritum: Venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te, et coangustabunt te undique et ad terram prosternent te, et filios tuos qui in te sunt. Quod antea Isaias XXV, 2. Posuisti civitatem in tumulum, urbem fortem in ruinam, domum alienorum, ut non sit civitas, et in sempiternum non aedificetur. Nonne completa ipsius Domini vox dicentis: Non manebit lapis supra lapidem?

[6] *Templum* — Notanda praecipue sunt verba Josephi de bel. jud. lib. VII, cap. 18. Deus profecto, Deus ipse cum Romanis ignes lustrales ipsi templo injicit, et civitatem tot piaculis plenam excindit. Et cap. 10. Templum invito Tito exuritur. Et 24 sic spolia in triumphum perducta describit. Spolia vero alia passim ferebantur: eminebant autem ea quae apud Hierosolymam in templo reperta sunt, mensa aurea, ponderis talenti magni, et candelabrum similiter quidem auro factum. . . Post haec autem portabatur lex Judaeorum, novissima spoliorum.

[7] *Ardescunt Romae* — Incendium urbis sic narrat Dio in Tito: Anno sequenti, Tito ad visendam calamitatem Campaniae profecto, multa Romae conflagrârunt; quod incendium tamen non extiterat ex terra. Nam Serapium, Septa, Isium, templum Neptuni, balnea Agrippae, Pantheon, Diribitorium, theatrum Galbae, scena Pompeji, octaviana aedificia una cum libris, templum Iovis Capitolini, cum proximis templis igni consumpta sunt. Ita et malum divinum potius quam humanum fuit.

[8] *Pellex* — Apoc. XVII, 4. Et mulier erat, circumdata purpura, et coccino, et inaurata auro, et lapide pretioso, et margaritis, habens poculum au-

reum in manu sua, plenum abominatione, et immunditia fornicationis ejus. Et vidi mulierem etiam de sanguine sanctorum, et de sanguine martyrum Jesu.

[9] *Judaei* — Joseph. captivos et occisos enumerat. Belli hujus calamitates nemo melius enumerat, quam ipse in VI, et VII libro. In una expugnatione urbis Jotapatae, qua ipse historicus per quadraginta dies fortiter pugnavit, atque inde captivus ductus est, quadraginta millia Judaeorum periere. Nobis animadvertere sat est Amphitheatrum Flavium Romae a Judaeis captivis aedificatum.

[10] *Patmos* — Antequam in eam quae una Sporadum fuit, insulam relegaretur Joannes Apostolus, exquisitissima Romae pertulit supplicia. Veluti impietatis reus a proconsule Asiae ad Domitianum imperatorem missus, in ferventis olei dolium conjectus. Extat Tertull. auctoritas, de praescr. 36. Habes Romam, unde nobis quoque auctoritas praesto est: statu felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt; ubi Petrus passioni dominicae adaequatur, ubi Paulus Joannis exitu coronatur; ubi Apostolus Joannes postquam in oleum igneum demersus nihil passus est, in insulam relegatur.

[11] *Felicula* — Immani post Neronem vexatione persecutus Christianos fuit Domitianus, qui teste Eusebio, lib. 3. 17. Neronianae impietatis, belli atque adversum Deum odii successorem se ipsum professus. Haec persecutio, ut censet Pagius, An. Christi 93, Domitiani imperii 13 incoepit. Praecipuos Martyres in medium afferimus.

[11] (bis) *Paci* — Post Domitiani interitum brevi pace conquievit Ecclesia; a Trajano tertia in Christianos conflata est insectatio, qui mansuetudinis laude, fastus contemptu et liberalitate omnium animos sibi conciliaverat, ut retro secutis principibus acclamari soleret: *Felicior Augusto, melior Trajano:* sed falsa suorum deorum religione in solos Christianos iniquus fuit, licet Plinius Bithiniae proconsul eorum innocentiam luculentissimis litteris scriptis patefecerit.

[12] *Simeon* — Praecipue sub Trajano passi sunt Simeon et Ignatius: ille Jerosolymitanus Pontifex cruce affixus Jerosolymis, iste Antiochenus Romam missus, ibique in Amphitheatro a leonibus discerptus.

[13] *Quali Lugdunum* — Quartane sit persecutio, an tertiae additamentum quae sub Hadriano evenit, nescio: utrumque nomen usurpant historiographi. Certe Justinus Antoninum Pium ab Christianis excruciandis deterruit, proposito Hadriani exemplo, qui post immanem Christianorum caedem, cognita eorum innocentia, ab persecutione abstitit. Marius, dux militum, eo imperante, passus est, et Publius, Evaristus, Faustinus. Antoninus Pius a caede aliquando temperavit, quod, ut ait Justinus, Christiani per *mortem victores evaderent, cum iis mori esset optabile.* Sed Imperatoris minis remissis, non ideo populorum tumultus quievere: litteris enim datis

apud plurimas civitates conqueritur, quod vulgus Christianos expelleret, et ad mortem usque perurgeret. Sed ut ad Lugdunenses martyres veniamus, qui 48 una hora internecati, in eam quae V dicitur, persecutionem inciderunt, qua Eusebius, per assiduas populorum seditiones, innumerabiles prope Martyres per universum orbem enituisse testatur. Princeps rescripto *confitentes gladio caedi, negantes incolumes dimitti* jusserat.

[14] *Cardinis instar* — Haec vera est S. R. E. Cardinalium origo. Unus Petrus tantam molem sustinere rerum nequibat, ideoque in partem ministerii assumserat Linum, Cletum, Clementem, Marcum Evangelistam, qui pontificatus muniis adjutores forent; sed Pontifex Evaristus titulos in urbe presbyteris divisit, ut unusquisque suis paroeciae terminis distingueretur: Hyginus Clerum per gradus distinxit, ut presbyteri et Diaconi alii superiores, inferiores alii haberentur. Ut vero tunc temporis curatores regionum, sub praefecto urbis constituti, ea quae regionis cujusque erant commoda administrabant, sic ad promovendum Christi religionem *septem* Diaconi septem regionibus urbis, quae ex Neroniano incendio supererant, praefecti. Superiores Cardinarii sive Cardinales dicti. Ceterum factum est, temporum successione, ut Diaconi, et Presbyteri non amplius a regionibus quibus praeerant, sed passim ab aedificiis et patrimoniis, a piis viris et matronis Ecclesiae legatis, quaeque presbyteri et Diaconi in Ecclesiae commodum administrarent, nomen usurparent. Hinc orti tituli Lucinae, Callisti, etc. qui reditus sive proventus erant ex villis, praediis, fundis aut agris, sive patrimonia et beneficia quibus singuli aut plures praeficerentur.

[15] *Carinam*—Quamvis Lucii Britannorum regis ad S. Eleutherium legationem inter commentitias narrationes rejiciat Basnagius, Usserii sententiae astipulamur, qui in Britan. Eccles. Antiqu. 3 scribit, Lucium fuisse regem partis Britanniae Romanis subjectae. Quid facilius, quam ut Lucius, verae Religionis studio a R. Pontifice Evangelii praecones postularet? iique insulam jam Christianis institutis imbutam Sedi Apostolicae penitus adjicerent?

[16] *Tertia* — Tertio ineunte saeculo acerbissimas contra Christianum nomen moverunt tempestates VI Septimius Severus, VII Maximinus, VIII Decius, IX Valerianus. Eusebius Hom. lib. 11 de Severianis furoribus scribebat: Nobis autem sunt quotidie redundantes Martyrum fontes, qui nostris spectantur oculis, qui torrentur, et capite damnantur. Tertullianus hujus persecutionis acerbitatem describit et Christianos *Sarmentitios*, et *Semaxios* per convicium vocatos dicit, quod ad stipitem dimidii axis revincti sarmentorum ambitu exurerentur. Ridicula Heliogabali superstitio in tantam saevitiam exarsit, ut, teste Lampridio, Christiadûm devotionem ad suum cultum transferri jusserit. Maximinus trium annorum spatio ferociit, sed tanta Decius rabie in Christianos incubuit, ut ii, Dionysio Alex. apud Eusebium teste, VI, 14, putârint tempus a Christo Domino praenunciatum advenisse, quo ipsi electi, si fieri posset, scandalum paterentur.

[17] *Majora ferenti* — Senatu, et militibus mutuo sibi Imperatorem deligendi potestatem vindicantibus, mirum non est, si Praetoriani aut legionarii imperii gubernaculum majora pollicenti offerrent. Hinc plurimi uno tempore imperatores salutati; hinc aulicae proditiones, hinc saepius interregna, qua nullus certus Imperator, civilibus hinc bellis, inde barbarorum incursionibus imperium dilaniantibus.

[18] *Urbanus* — Per tria ferme saecula Pontifices omnes Martyrio absumpti, ut idem fuerit Petri cathedram regere, ac morti indubiae sese offerre.

[19] *Clerus* — Post Antherum Fabii filium, cum, furente persecutione, de creando Pontifice convenire non possent Patres, sexdecim amplius mensibus Romana sedes vacavit, totiusque Christiani gregis per orbem diffusi suscepit tutelam Romanus Clerus.

[20] *Lapsi* — Qui, persecutione saeviente, tormentorum formidine terrefacti a fide desciscerent, *lapsi* dicti sunt, quorum plura fuere genera: iidemque antequam communione donarentur, legitimam poenitentiam subire jussi.

[21] *Leo Pater* — E Leonide Martyre natus est Alexandriae Origenes, inter graecos scriptores ingenio, et eruditione nemini secundus — *Samaritidos ora*. Justinus patriam habuit Samariam. Omnium philosophorum sectis frustra lustratis, tandem cujusdam senis sermonibus veritatem edoctus, martyrumque in obeundis suppliciis constantia permotus, Christo nomen dedit. Apologiam pro Christianis Antonino Pio, Romanoque senatui nuncupavit. Sub Marco Aurelio Martyr occubuit, an. 167. *Athenagoras* Atheniensis, Christianus philosophus Apologiam M. Aurelio Antonino, et L. Aurelio Commodo pro Christianae Religionis veritate exhibuit — *Quadratus*. Apostolorum discipulus et post Publium Atheniensis Episcopus egregiam pro christiana fide Hadriano Apologiam exhibuit, eumdemque Imperatorem adiit, gravique oratione a persecutione compescuit — *Q. Septimius* Florens Tertullianus humanis divinisque litteris celebratissimus; sed falsa severioris disciplinae specie deceptus in Montani castra transiit, et instituta nova secta, vita perfunctus est An. 216 — *Agauni*. Sub Maximiano Imperatore id evenit. Cum enim in valles Alpium Christianos persequi missa esset Thebaeorum legio, ne se impia superstitione macularet, alio discessit, maxime hortatore Mauritio duce. Tota legio decimum quemque occidi passa est, quam christianam fidem deserere.

[22] *Tres furias* — Sic Svet. mort. pers. 16. Vexabatur universa terra et praeter Gallias ab Oriente usque ad occasum tres acerbissimae bestiae Diocletianus, Maximianus Herculeus, et Galerius Maximianus saeviebant. Hinc dici non potest, scribit Eusebius, quot, et quantos Christi martyres in omnibus locis, atque urbibus passim cernere licuit — *Carcer*. De Diocletianea insectatione Lactantius testatur, nullam poenam apud Galerium Maximianum levem esse, qui nunquam sine humano cruore coenabat. Non insulae,

non carceres, non metalla; sed ignis, crux, ferae in illo erant quotidiana et facilia.

[23] *Semotas cryptas* — Fovearum genus, quarum tria supra quadraginta recenset Baron. ad ann. 216. 9. In iis et Martyrum corpora sepeliri, et conventus et Synaxes, persecutionis praesertim tempore, celebrari antiquissima Ecclesiae monumenta testantur.

[24] *Quatuor aligeros* — Apoc. VII. Post haec vidi quatuor angelos stantes super quatuor angulos terrae, tenentes quatuor ventos terrae, ne flarent super terram, neque super mare, neque in ullam arborem. Et vidi alterum angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi: et clamavit voce magna quatuor angelis, quibus datum est nocere terrae et mari, dicens: Nolite nocere terrae et mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum. Et audivi numerum signatorum: centum quadraginta quatuor millia signati ex omni tribu filiorum Israel.

[25] *Doctorem* — Constantinus Constantii et Helenae filius, qui patre Eboraci mortuo, militum suffragio Imperator salutatus est, anno Christi **306.** Duo Romae Augusti simul erant Maximianus et Maxentius, duoque in Oriente Galerius et Severus. Constantinus Caesaris titulo contentus Galliam, Britanniam, et Hispaniam moderabatur, quodque caput, Christianis liberam Religionis exercendae copiam faciebat. Ceteris omnibus absumptis, cum Maxentius Romae per omne nefas rueret, Constantinus e Galliis castra movit, ad Veronam Maxentii duces fudit, et caelesti Crucis ostento alacrior factus ad Milvium pontem prope Urbem Maxentium ipsum profligavit. Qui pontis ruina oppressus in Tiberim demersus interiit.

[26] *Miltiades* — Afer genere, altero sui Pontificatus anno pacem Ecclesiae redditam Constantini Magni opera vidit. Ipsi Imperator Augustus Lateranenses aedes ad habitandum concessit, et imperatorio cultu eum dignatus est, veluti primarium Christianae religionis Antistitem.

[27] *Templa* — Devictis Imperii aemulis Constantinus liberum Christianae religionis cultum indulsit: collatis ex aerario sumptibus, plura templa vero Deo extruxit, leges in Clericorum et Ecclesiae gratiam tulit; nicaenam Synodum, Pontifice jubente, coegit: Imperii sedem Byzantium transtulit, quam a suo nomine Constantinopolim nuncupavit.

[28] *Graecia* — Alexandrinae scholae celebritatem jam antea attigimus, in qua omnium Philosophorum sectas graecanicum ingenium complexum veritatem universam complere sategit. Si Arianorum cavillationes lustrabis, Christianae doctrinae Graeca Philosophia primum periculum movit.

[29] *Teque hominem* — Dici non potest, quanta haeresum monstra ex inferis prodierint, ut hoc Religionis nostrae solidissimum fundamentum convelleretur. Et sane si ea Catholicorum omnium fides est, ut Ecclesia nec defecerit, nec deficiat unquam, nec ipsa errare possit, cum ipsa sit columna et fundamentum veritatis, una Christi divinitate innititur. Bene admodum

Chrysost. Hom. IV in Isaiam: Ecclesia firmioribus, quam ipsum caelum radicibus defixa haeret: facilius est solem extingui, quam Ecclesiam deleri. Et antequam iret in exilium : Nihil Ecclesia potentius. Si Ecclesiam oppugnas, vincere nequis, omnibus fortior est Deus.

[20] *Ille vides* — Athanasius, vir Aegyptius, Alexandrinae Ecclesiae Diaconus cum Alexandro Episcopo Nicaenae Synodo interfuit, et Alexandro in Episcopatu subrogatus Arianam haeresim qua voce qua scriptis debellavit, Arium ex Ecclesiae communione seclusit, invicto animi robore pro veritate praeliatus. Saepe sede sua pulsus, saepe eidem restitutus, inter maxima vitae discrimina sedit in Episcopatu ann. 46: obiit anno Christi 467.

[21] *Romae senior* — Plura sane concilia ad fidei veritatem contra haereses vindicandam celebrata sunt. Nos de Oecumenico primo Concilio loquimur, quod, ex Silvestri Pontificis voto, Constantino jubente, Nicaeae urbe Bithiniae collatum est ex universo orbe anno 325. Ei Imperator praefuit, Silvestri R. P. Legati Osius Cordubensis Episcopus, Vitus et Vincentius Romani presbyteri cum Episcopis 318 interfuere. Auditus est Arius in augustissimo illo coetu, et anathemate confixus. Symbolum editum est, quo Dei filius Patri ομοουσιος Consubstantialis definitur. Quanta sapientia captiosae adversariorum astutiae compressae! Qui ομοιουσιον (similis naturae) substituere volebant. Sed vicit veritas.

[22] *Imagine mortis* — Nulla saevior pestis in Catholicam Ecclesiam est grassata. E Syria in orbis perniciem Arius egressus Christum merum hominem, nullo vero modo Deum esse contendit. S. Ambrosius lib. I de fid. ad Grati. III. Detestandi Judaei qui carnem Domini crucifixerunt : detestabiliores tamen Arianos arbitror, qui divinitatem Christi cruci subditam crediderunt. Arius contra avitam fidem effutiebat: Christum Filium Dei et tempore et natura et dignitate Patri inferiorem esse, nec nisi gratia et communicatione Deum. Dum collectis suarum partium Episcopis, et per urbem plaudentibus omnibus circumduceretur, alvum exoneraturus secessit, sed disrupto ventre et dilapsis visceribus mortuus est.

[23] *Triades* — Fide *verbi incarnati* excussa, platonicae philosophiae documentis divina omnia explicare satagentes haeretici, in varias dissecti sunt partes, totumque Catholicae fidei fundamentum turbârunt. Nusquam opinandi lascivia laxior proterviorque, nec tam copiosa contrariarum haeresum varietas reperitur. In portu post Nicaenam synodum conquiescere videbatur, sed aliae tempestates incubuere. Nestoriani et Eutychiani et Macedoniani totam divinam naturam aggressi sunt. Sed post Nicaenum alios omnium Episcoporum conventus celebravit Ecclesia, et Romana fides constabilita primo Constantinopolitano anno 381, quo divinitas Spiritus Sancti contra Macedonium asserta; Ephesino anno 431, quo Nestorius damnatus; Chalcedonensi 451, quo damnatus Eutyches; secundo Constantinopolitano, 453, quo Nestorianorum reliquiae extinctae; tertio Constantinopolitano 680, quo

Monothelitae damnati—*Diviparam*. Alterum Nestorianae haeresis monstrum fuit, Beatissimam Virginem Mariam non esse *θεοτοκον*, *Deiparam*, sed *χριςοτοκον Christiparam* appellandam vel etiam *ανθρωποτοκον hominis matrem*. Caelestinus Pontifex in primis, coacta Romae Synodo 430 haeresim damnavit, sed res gravissimi momenti Oecumenico Concilio Ephesi habito confirmata, et BB. Virgo omnium fidelium obsequio *Sancta Dei Genitrix* salutata.

[34] *Vestit sua pallia pastor* — Monasticae vitae institutum in Aegypto primum adolevit. Antonius Coenobitarum parens jure dictus et habitus, sed paulo post duo Macharii et Pachomius Thebaidis solitudines opplerunt. Hilarion in suam patriam Palaestinam religiosum agmen induxit. Mirum profecto! Dum in Alexandrinae scholae celebritate omnis errorum vertigo versabatur, Christianae sapientiae altitudo in tenebris delitescebat, et certis vivendi normis instituti caelestis beatitudinis praerogativam praecipiebant.

[35] *Fatalem puerum* — Flavius Claudius Julianus ex Constantia et Basilina Constantinopoli natus adolescens lectoris munere in Ecclesia functus est. Philosophiae operam dedit Athenis, ubi Gregorius Nazianzenus, condiscipulus, ejus indole perspecta, de eo male ominatus est. Re quidem vera Imperium adeptus Christi fidem ejuravit, ethnicorumque numinum vanitatem restituens se ipse summi Pontificis titulo decoravit.

[36] *Fundamenta locans* — Non modo Ecclesias bonis omnibus spoliavit, et templorum fores obstruxit, sed Christi vaticinium de Hierosolymitani templi excidio falsitatis coarguere autumans, Judaeum templum aedificandum curavit. At flammis pluries e fundamentis erumpentibus, operasque incendentibus temerario opere fabri abstiterunt. Testis est ipse Ammianus Marcellinus, qui in Juliani castris militabat.

[37] *Galilaee* — Julianus per contemptum Christianos Galilaeos appellabat. Secundo Imperii anno contra Persas exercitu ducto, in acie cecidit, telo percussus, interque blasphemiae voces miseram animam ejecit, anno Christi 363.

[38] *Quem video juvenem* — Antiochiae natus Joannes ab aureum eloquentiae flumen Chrysostomus dictus. Solitudinis amore captus in eremum secessit, ubi per aliquot annos caelestium rerum meditationi, ac sacrarum Scripturarum lectioni totus incubuit. Magno cleri populique consensu, episcopus creatus, et ab Antiochena ad Cpolitanam sedem translatus vigilantissimi pastoris partes explevit. Eloquii firmitate subiit multorum invidiam: in Bithiniam relegatus quamvis statim revocatus fuerit, post paucos menses iterum exulare cogitur: aerumnis et itinerum laboribus confectus Comanae Ponticae mortem obivit.

[39] *Varia regione creati* — Basilius in Helenoponto, et Gregorius ob eminentem sacrarum rerum peritiam Theologus dictus, Nazianzi in Cappadocia nati, quam in ejusdem scholae subselliis juvenes amicitiam junxere, in Eremo servârunt. Ambo episcopatu aucti, ille Caesareensi, iste Na-

zianzeno, Ecclesiam quisque suam illustravit, fidei veritate et verbo et scriptis defensa.

[40] *Dalmata* — Hieronymus Stridone in Dalmatia natus, Romae liberalibus disciplinis educatus, Hierosolymae Hebraicis litteris studuit. A Paullino Antiocheno episcopo presbyter factus Pontifici Damaso a Secretis fuit, demum Bethlehemico secessu obiit 420: vetus Testamentum ex Hebraeo vertit, novum emendavit — *Quis procul*. Paulinus, qui Burdigalae illustri loco natus, et ab Ausonio humanioribus litteris imbutus, Barcinone Baptismo lustratur, ibique una cum conjuge eremiticam vitam agens ad presbyteratum evehitur. Relicta Hispania, et in Italiam profectus Nolam contendit, cujus creatus fuit Episcopus. Multa scripsit poemata, quorum pleraque S. Felicis Martyris laudes canunt.

[41] *Ambrosi* — Arelate natus Ambrosius, e patre praefecto praetorii in Galliis, Romae liberalibus disciplinis fuit eruditus. Liguriae et Aemiliae praefectus, Mediolanum ad seditionem componendam missus, creatur Mediolanensis episcopus, eruditione, sanctitate, atque animi fortitudine commendatissimus.

[42] *Divinos victoria* — Victoriae signum a Tarentinis raptum in Senatu Romano divinis honoribus colebatur. Ut ethnicae superstitionis reliquiae omnino delerentur, studuit Ambrosius, eoque instante, Valentinianus victoriam loco moveri jussit.

[43] *Afer* — Ecclesiae lumen Augustinus Tagaste in Numidia natus, parentibus Patricio et Monica; quae filium Manichaorum laqueis implicatum videns, precibus et lacrymis apud Deum effusis, catholicae fidei iterum peperit. Matris amantissimae consiliis, et Divi Ambrosii sermonibus ad bonam frugem revocatus baptismo lustratur, et Hipponem profectus, primum presbyter, deinde Episcopus creatus vigilantissimi pastoris partes explevit. Omnes sui aevi haereticos debellavit, ethnicae vanitatis errores in aperto lumine collocavit, libris *De Civitate Dei*, doctrina et argumentorum pondere vere admirandis — *Pictavius*. Hilarius natione Gallus in Aquitania ortus et Pictavorum Episcopus. Catholicae doctrinae studio, et pascendi gregis sollicitudine, et aerumnis pro Christiano nomine obeundis virtute animi singulari emicuit. Hieronymus latinae linguae Rhodanum appellat.

[44] *Servum Servorum* — Gregorius Romae natus senatorio genere et praefectus urbi creatus monasticam solitudinem professus est, in suis ipsis aedibus monasterio extructo. Ad pontificiam dignitatem evectus, Joannis Jejunatoris Cpolitani Antistitis temeritatem fregit; ille Oecumenici Episcopi sibi nomen adsciverat: Gregorius contra primus omnium pontificum *Servum servorum Dei* se nuncupavit.

[45] *Serapeum* — Theophilus Alexandriae, Marcellus Asia Minori, et Martinus Turone in Gallia Christianam fidem propagârunt, et ethnicae foeditatis vestigia deleverunt.

[46] *Martinus* — Sabariae in Pannonia ortus in imperatoriis exercitibus primum meruit; deinde militari vita relicta, ab Hilario Episcopo pictaviensi inter Acolythos allectus: Turonensis demum creatus Episcopus miraculorum fama claruit.

[47] *Barbaricae gentes* — Longum esset et barbararum gentium nomina et incursiones numerare. Potius hic animadversionem addam Augustini sapientia dignissimam, quae Romanae urbi calamitates illatas prosequitur de Civ. V, 23. Et non agunt miseri gratias tantae misericordiae Dei, qui cum statuisset irruptione barbarica graviora pati dignos mores hominum castigare, indignationem suam tanta mansuetudine temperavit, ut illum primo faceret mirabiliter vinci, ne ad infirmorum animos evertendos gloria daretur daemonibus, quibus eum supplicare constabat; deinde ab his barbaris Roma caperetur, qui contra omnem consuetudinem bellorum ante gestorum ad loca sancta confugientes christianae religionis reverentia tuerentur, ipsisque daemonibus, atque impiorum sacrificiorum ritibus, de quibus ille praesumpserat, sic adversarentur pro nomine christiano, ut longe atrocius bellum cum eis, quam cum hominibus gerere viderentur; ita verus dominus gubernatorque rerum et Romanos cum misericordia flagellavit, et tam incredibiliter victis supplicatoribus daemonum, nec saluti rerum praesentium necessaria esse sacrificia illa monstravit; ut ab his qui non pervicaciter contendunt, sed prudenter attendunt, nec propter praesentes necessitates religio vera deseratur, et magis aeternae vitae fidelissima expectatione teneatur.

[48] *Quit gens nulla hominum* — Jamdiu Barbari circum collabentis Imperii ostia fremebant; saepius profligati, mox inito foedere, in belli societatem recepti; demum ingeminatis ictibus irrupere, totaque Asia in Europam effusa. Exterae gentes regionis celebratissimae fama, et opum cupidine, et audentioris animi fortitudine permotae, provincias intestinis seditionibus discerptas incendiis, caedibus et rapinis compleverunt. Post Theodosii mortem 394 inter Arcadium et Honorium filios divisum fuerat Imperium, quorum ille Orientem, hic Occidentem moderandum suscepit. Sed Barbarorum colluvie irrumpente, imperium contritum est, et in plura regna dissectum quae antiquo nomine amisso, aliud ab occupatoribus accepere — *Leo jussit.* S. Leo, qui Attilam *flagellum Dei* cognominatum, Italiae extrema omnia minitantem praesentia deterruit, eumque Roma abire suasit.

[49] *Objecit natura parens* — Meminit quisque profecto notissima illa poëtae nostri verba:

Ben provvide Natura al nostro stato,
Quando dell' Alpi schermo
Pose tra noi e la tedesca rabbia.

Suam quasque *nationes* terram in qua *natae* sunt, tenere jus fasque esto.

Quod nisi, Deo benejuvante, contigerit, deterrimorum bellorum causa nunquam ex Italia auferetur.

[50] *Arabiae* — Mahumedis nefanda superstitio, qui ethnicis, Judaeis, et Christianae religionis desertoribus sibi allectis, et Christianarum exuviarum spe concitatis, se Dei internuntium et prophetam jactans Arabia potitus est; armorum terrore successores Syriam, Aegyptum, et Persidem sibi subjecere, mox in Hispaniam transmissi Cordubae sedem locârunt.

[51] *Volvitur* — Primus Francorum regum Christianus Clodoveus fuit, qui victo Syagro Rhemorum duce, Augustam Suessionum post victoriam occupavit, et Rhemis a S. Rhemigio baptizatus, regni fines ad Sequanam protendit.

[52] *Maximus excipitur* — Stephanus II qui primus in Galliam profectus, Pipinum ejusque successores Apostolicae sedis defensores constituit, et sacri olei unctione eumdem principem ejusque filios Carolum et Carolomannum reges inauguravit.

[53] *Francigenam* — Solutis in luxuriam et inertiam Francorum Regibus, summa rerum ad palatii praefectos, qui *majores domus* vocabantur, paullatim translata est. Ex ea gente Pipinus 743. Caroli Martelli filius ob humilem corporis staturam *bervis* dictus, Zachariae Pontificis consensione, Suessione a Francis Carolinorum primus rex renunciatus est.

[54] *Barbaries* — Quamvis Pipinus, semel atque iterum ipse in Italiam opem laturus Romano Pontifici Stephano II contra Longobardos venisset, Carolo qui dictus est magnus, major celebritas obtigit. Qui universae Franciae regno potitus Longobardorum in Italia regno finem posuit, Saxones domuit, in Hispania Saracenos compescuit, Hunnos subegit. Tot praeclaris rebus gestis a Leone III Pontifice Max. Christi Domini Natali die an. 800 occidentis Imperator inauguratus est.

[55] *Proprio jam libera regno* — Barbariei incursionibus servata Roma per summos Pontifices, crescente quotidie populorum obsequio, mirum non est, si Pontificii regni caput, et civitas sacerdotalis, et totius Christiani orbis mater habita fuit. Gregorius III a Carolo Martello per litteras opem rogavit contra Longobardos qui Romam obsederant, et huic Pontifici Exarchatus Ravennatensis procuratio ab Italiae copiis demandata est. Zachariae prudentia Romanus ducatus et Ravenatensis Exarchatus a Luitprandi Longobardorum regis armis servatus est, ejusque precibus et muneribus Rachisius Luitprandi successor Italicam Pentapolim et Perusiam obsidione exolvit. Stephano II in Galliam profecto contra Aistulphum Longobardorum Regem extrema Urbi minitantem, Pipinus, collata patriciatus dignitate, ejusque successores patroni sedis Apostolicae constituti sunt. Ergo pro certo habendum Pipinum non R. Ecclesiae principatum instituisse, sed auxisse, jamque ante Pipinianam donationem Rom. Pontifices si non *plenam*, aliquam saltem administrationem in rebus ci-

vilibus exercuisse. Sed per Carolum M. qui perpetui hostes Romani principatus fuerant, Longobardorum concidit regnum; cujus belli, Eginhardi in vita Caroli verbis utimur 6, finis fuit, quod, subacta Italia, provinciae Longobardorum regibus ereptae Hadriano Romanae Ecclesiae rectori fuerint restitutae. Si restituit Carolus, Romani Pontificatus dominium erant eae urbes et provinciae.

[56] *Acinace diro* — In ingenti illa malorum colluvie, quibus conflictabatur Italia, nusquam nisi a Romano pontificatu, salutis, et pacis lumen affulgebat. Tanta porro morum sanctitas, quam in Ecclesiasticis viris spectabant, nonne barbarorum oculos percellere debebat? Et praecipue, cum paullatim Christianae caritatis operibus ii ipsi, domesticis suis aerumnis, frui coeperunt, sive duces sive milites. Sic rusticitas illa mansuescere paullatim visa, ultroque fastu, et crudelitate deposita, christianae patientiae demissione victi sunt.

[57] *Benedicte* — Monachorum in Occidente institutor fuit S. Benedictus ex vetusta Aneciorum familia, natus Nurciae 480. Ex Eremo Sublaci, qua primum se contulit, Cassinum contendit, ubi insignem illam monasticae vitae regulam condidit, quae perfectionis Christianae iter omni tempore est aestimata. Cassinense coenobium, teterrima illa tempestate, non modo sanctitatis, sed sapientiae perfugium fuit. Nulla heterodoxorum jactantior detrectatio inficiatur, quod in illo monte sempiternus scientiae ignis exarserit, resque litteratorum publica, si servatae antiquitatis notitiam reciperârit, Cassinensi familiae acceptum ferat.

[58] *Anglus* — Wilfridus antea dictus, qui ex Anglia Romam profectus, et a Gregorio II in Germaniam missus iterum Bonifacii nomine, Episcopus fuit Moguntinus, illius regionis populos ac maxime Frisios ad Christi fidem traduxit, Germanorum propterea dictus Apostolus.

[59] *Inscitia saeclo* — Patrii scriptoris, qui res Ecclesiasticas non ineleganter narravit, verbis utimur. Salvator de Luca de decimo saeculo sic scribit. Magnam hoc decimo saeculo Ecclesiae inter Ecclesiasticos viros invaluisse ignorantiam, magnamque morum foeditatem etiam in illam sacratissimam sedem, quam pro sua amplitudine et dignitate omnimoda decet sanctitudo, irrepsisse adeo comperta res est, ut hoc saeculum apud omnes infelix audierit. Verum uti Sapientissimus Deus haec mala in Ecclesia grassari permisit, ut pro certo haberemus Romanam sedem haud tot Pontificum sanctitate, sed suo stetisse numine, suamque Ecclesiam nullo unquam tempore dejici posse, sive principum furor, sive haereticorum et schismaticorum rabies, sive domesticorum flagitia et scelera eam impetant: ita in tanta vitiorum colluvie nullam oriri haeresim sivit, ad quam profligandam concilia convocari opus esset.

[60] *Magni Hildebrandi* — Gregorius VII, hetruscus, patria suanensis, cui antea Hildebrandi nomen. Ex Romanae Ecclesiae Archidiaconatu ad su-

premum pontificatum evectus quamvis invitus et moerens ipse unus, in omnium ordinum consensu nihil habuit antiquius, quam ut Ecclesiae libertatem, et sanctitatem assereret. Sacramentum ordinis nonnisi perpetuum coelibatum professis conferendum esse sancivit, Clericis aliquem sacrorum ordinum gradum, vel officium per pretium adeptis omni deinceps Ecclesiae ministerio interdixit; Clericos beneficiorum investituras a laicis accipientes, et laicos ipsos dantes anathemate percussit. Henricus imperator, comparato exercitu, Romam aggreditur, et Pontificem in Castro S. Angeli obsidet. Inde Roberti Calabriae ducis ope ereptus Gregorius Salernum confugit, ubi 1084, sancto fine quievit. Extrema morientis verba fuere: *dilexi justitiam*, *odivi iniquitatem, propterea morior in exilio.*

[61] *Te, Francia, poscet* — Urbanus II Gallus, cujus studio et eloquentia in Concilio Cleromontano decretum fuit sacrum bellum contra Turcas.

[62] *Effulget in arce* — Comparatus ingens Latinorum exercitus, quamvis ab Alexio Comneno primum insidiis et graeca fide, deinde aperto marte vexatus, continuis praeliis Nicaeam, in qua Sultani regia, deinde Antiochiam, demum Hierosolymam obsedit, et die 25 Julii an. 1097 occupavit. Tum Godefridus, omnium suffragiis Hierosolymorum rex creatus.

[63] *Majorne potentia regni* — Otho, Fridericus II, et Hernicus jurata Ecclesiae jura tueri saepius spoponderunt, saepius fidem fefellerunt. Grave et continuum certamen Romam inter et Germaniam.

[64] *Tertius* — Summa animi fortitudine prae ceteris Innocentius III, Gregorius IX, Innocentius IV, et Alexander IV. floruerunt.

[65] *Geminum fatalis* — Acerrimas inter summos Religionis antistites et occidentis Augustos dissentiones secutae sunt Guelphorum et Ghibellinorum factiones. Nomen ortum in Germania a duabus familiis ob gloriae et ambitionis certamen pugnacissimis. Cumque in certamine imperii Guelphis in Germania Pontifices favissent, nomen ipsum in Italiam translatum: cumque de Italiae libertate ageretur, qui Rom. Pontificum partes contra Imperatores tuerentur, Guelphi, qui secus Imperatorum essent fautores, Ghibellini audierunt. Factionis lues longe lateque per Italiam propagata quaquaversus discordias excitavit, ut non modo civitates et provinciae, sed ipsae quoque familiae inter se dissiderent.

[66] *Contendet ad oras* — Post Bonifacii VIII mortem 12 mensibus Rom. sedes Pastore caruit. Tandem Christianae rei summa delata est Clementi V Archiepiscopo Burdigalensi, qui Italiam cernens cruentis factionibus perturbatam pontificiam sedem Avenionem transtulit, ubi 70 circiter annos permansit.

[67] *Quinquaginta* — Extincto Gregorio XI, schisma ortum est in Ecclesia teterrimum, Pontificibus annos 50 aliis Romae, Avenione aliis, alibique commorantibus.

[68] *Crescet* — Religiosorum ordinum parentes atque institutores plurimi hoc saeculo fuere. Praecipuos tamen delibabimus. Ordo S. Joannis Hieroso-

lymitani, Templariorum militum et S. Mariae Teutonicorum initium habuere a Christianis ad loca sacra confluentibus. Ea fuit hujus institutionis causa, ut Ecclesias divinis officiis latino ritu celebrandis conderent, peregrinos infirmos et egenos susciperent, publicarum viarum custodiae et peregrinorum securitati contra praedones et sicarios consulerent; Teutonici vero ita dicti, quod peregrinorum ex Teutonica gente curam gerebant. — *Falcone*. Joannes de Matha Falcone in Provincia natus est. Caelesti visu ad redimendos de potestate Infidelium Christianos se vocatum intelligens, ut ab Innocentio III suum institutum approbaretur, obtinuit, qui SS. Trinitatis Redemptionis captivorum vocari jussit — *Calaroga*. S. Dominicus Ordinis FF. praedicatorum parens. Qui ex illustri Gusmanorum familia Gallarogae in Hispania natus, jactis sui ordinis fundamentis Albigensium haeresi tunc temporis per Galliam grassanti bellum indixit, ac Deipara praeeunte, insignes egit de haereticis triumphos.

[69] *Assisio* — Eodem tempore quo S. Dominicus, vixit S. Franciscus, Assisii in Umbria natus, et ordinis FF. Minorum institutor. Mercaturam prima aertate fecit, sed ea relicta, ad apostolicae paupertatis normam vitam exegit. Sui ordinis institutum longe lateque propagatum statim fuit; sed ipse pluribus extructis suae familiae domiciliis, sui ordinis Generali praefectura recusata, in Alverni montis solitudinem secessit, ubi Seraphim Crucifixi effigiem repraesentans ei sacra stigmata impressit. Assisii sanctissimam efflavit animam.

[70] *Romanum imperium* — Si temporum difficultatem specularis, quibus totius humanitatis salus versabatur, divino quodam consilio factum est, ut Romani imperii nomen restitueretur. Inter Barbaros qui finibus Italiae praedae inhiantes continenter oblatrabant, dux armatus, imperii et religionis majestate circumfulgens, qui futuram omnium gentium genitricem tellurem, tot periculis circumventam defenderet, Italiae salus ne dicam Europae, atque adeo humani generis fuit.

[71] *Armipotentem equitem* — Tres Italiae Respublicae, Genuensis, Veneta et Amalphitana, quibus Georgius, Marcus, et Andreas si nomen et signum dederunt, seris nepotibus ostendent novae societatis primordia a Christianae religionis penu deprompta.

[72] *Cui nauta* — Flavius Giola, Amalphitanus, acus nauticae inventor.

[73] *En lupus* — Isaias cap. II. Habitabit lupus cum agno, et pardus cum haedo accubabit . . . Vitulus et ursus pascentur: simul requiescent catuli eorum.

[74] *Byzanti* — Pristinis malis ex Mahometanae sectae progressu Religioni illatis Iconoclastarum accessit rabies, qui novis orientem motibus turbârunt. Joannes Monachus, ad Sacrum Imaginum cultum insectandum, Cononem quemdam natione Isauricum incitavit, ei orientale Imperium vaticinans. Qui revera per varios militiae gradus imperium adeptus de abolendis sacris

Imaginibus impium tulit edictum an. 730. Impiae novitati totis viribus Catholici obstitere: sed orientalium principum impietas praeter Imagines Sanctorum quoque Reliquias, et SS. Dei Genitricis Mariae dignitatem et invocationem impetere aggressa est. Non dum Iconomachorum desederat rabies; altera secessionis causa orientis ab occidente supervenit. Cpolitani Antistites qui oecumenici titulum acceperant, ubi *servum servorum* se sponte vocantem Romanum viderunt pontificem, imperatoriae majestatis, atque aulicae corruptelae nebulis infuscati in alia omnia ierunt. Graecum discidium ab immani superbia exortum. Mirum profecto, quod in tanta patrum luce adeo caecutierint posteri! Sed graecanica gens Romanae genti credere noluit, quasi romanum foret inventum Evangelium, neque oecumenicae legi Graecus, et Hebraeus, et Romanus parerent. Byzantinus Pontifex Romano Pontifici invidere coepit; sed primum Photius laicus, ejecto Ignatio, in Cpolitanam sedem evectus, mortalium audacissimus, atque ambitiosissimus, solutis omnibus licentiae frenis, adversus latinam Ecclesiam ejusque doctrinam insurgens, illi praesertim objecit, quod doceret Spiritum Sanctum a Patre Filioque procedere, vocemque *Filioque* symbolo inseruerit. Contra photianum schisma plura concilia celebrata, sed schimatis semina semel injecta excrescere visa sunt. Romanae Ecclesiae primatum denegantes, Turcarum incursionibus permoti Imperatores saepe finem schismati imponere spoponderunt, ope a Pontifice Romano implorata, sed semper fidei datae defuerunt. Demum saeculo XV ineunte graecae cum Latina Ecclesia concordia Florentina Synodo iterum tentata, sed nondum perfecta, Graecisque adhuc dubitantibus, Cpolis expugnata.

[75] *Turcas* — Orientis imperium 1123 annos stetit: eo diruto 1454, Graeci, manifesto divinae ultionis judicio, in Turcarum servitutem redacti. *Aquino* — Divus Thomas e nobili comitum Aquinatum familia natus, qui Cassinensis coenobii monachis educatus Ord. Praedic. amplexus est. Tum Coloniae, tum Parisiis docuit, tantaque admiratione et plausu exceptus fuit, ut doctoris Angelici cognomentum meruerit. *Summa contra gentiles et summa Theologica* sunt vera Christianae sapientiae promptuaria. Cujuscumque generis quaestiones etiam difficillimas, pleno in lumine collocavit, et philosophiae sempiternam facem praetulit, quam ceteri philosophi intuerentur, si catholica luce, non ethnicis nebulis versari vellent.

[76] *Sorores* — Architectura. Cum omnia Christiana Religio complêsset, cumque christiano homini, unam caelestis gloriae altitudinem spectanti, sordescat tellus, ipsa templi constructio, et ornatus recentiores spiritus praeseferunt.

[77] *Lingua* — Latinitatis restauratio Romanae sedi praecipue debetur. Siquidem et rem totam litterariam promoverunt pontifices, cumque romanam linguam ad christianae sapientiae oracula patefacienda usurparent, plurimum profuerunt, ut latina oratio, abstersis barbarici sordibus, enitesceret,

et saeculo sexto et decimo, in Italia praesertim, clarissima nomina sermonis elegantia, et styli suavitate ad veterum laudem pervenerint.

[18] *Nomen* — Julius II vaticanam divi Petri Basilicam vetustate collabentem instaurandam suscepit, structura et mole magnificentissimam. Cum autem ei perficiendae ingentes requiri sumptus intelligeret, Christianis Indulgentias largitus est, qui stipem ad tantum opus conferrent: quod antea factum et a Nicolao V ad aedificandam divi Petri Ecclesiam urbis Xantonensis in Gallia, et a Sixto IV aliisque ad propulsandos Turcarum impetus, et ad haereticos debellandos. Omnium primus Lutherus inde obstrepere ausus est.

PETREIDOS

LIBER XXIV.

ARGUMENTUM

Sub vesperam alius Christianorum numerus supervenit, et praecipue Pontifices Asprenas Neapolitanus, Hermagoras Aquilejensis, Petrum consolaturi—Qui perhumaniter exceptis hospitibus, eorumque animis ad firmitudinem revocatis, vaticinium prosequitur—Ratione a fide rebellante, Europe immanem a Romana Ecclesia defectionem molietur—Ex Oxoniensi academia primus seditionis ignis erumpet — Funesti Wiclefianae haereseos cineres in Bohemiam transvolabunt — Intestinis vitiis fota grassatur discordia, tresque factionis duces omnia turbabunt — Jamque populi et reges, contagione latius manante, in apertam vim evadent — Pro re Romana unus stabit imperator — Cujus victoriis seditio primum sopita, violentius recrudescet — Sed principem bellica fortitudine et pietate insignem e terrenarum rerum fluctibus paterna Dei bonitas eripiet, eumque in Coenobio Hieronymiano mortali eluet caligine — Praeibunt Romani Pontifices, utque Europae finibus fidem sartam tectamque servarent, foris propagarent, quamplures Religiosorum ordinum societates condent — Neque eo secius Hispanienses Principes inceptum cum Maurica gente bellum intermittent, et Granatensi praelio, Barbarorum reliquiae extinguentur — R. Pontifices bellum jamdiu contra Turcas inceptum cohortationibus, pecunia juvabunt — Quin inito Christiani principes foedere, ingentique classe comparata insignem prope Echinadas in-

sulas victoriam referent — Qua Othomana classis partim incensa, partim in manus Christianorum veniet — Neque multo post Turcis cum ingenti exercitu Vindobonam obsidentibus, ea christianorum ducum virtute liberabitur, Turcis in fugam versis, et soluta obsidione — Neque externos hostes tantummodo Europae finibus arcent R. Pontifices — Sed quas in Europa jacturas Ecclesia patietur, novi orbis supplebit incrementis — Audentior animo Italus, amplissimum inter recentiores populos Religioni campum aperiet, detecta America — Lusitani in Africae Occiduae regionibus Guineam, in America Orientali Brasiliam, in Indiis oram Malabaricam Christianae fidei patefacient — Interea periclitanti Ecclesiae consultum ibunt Pontifices, Oecumenico Concilio indicto — Tridentinae fidei formula praescribetur, eamque firmandae concordiae tesseram recipient Italia, Hispania et Gallia — Septemtrio recusabit — Dania et Svecia, coitionibus, factionibusque opprimentur — Angliam foedissima Regis libido, Germaniam effrenis principum avarities distrahent — Helvetia factiosorum partibus studebit — Secessione facta, nobilissimae regiones, rejecto semel divinae auctoritatis fundamento in perpetua novorum dogmatum varietate fluctuabunt — Tum R. Pontifices ut sempiterno igni Romae ardescenti, sincerae faces accensae per Europam ipsam splendescant, pro Hungaris, Germanicis, Scotis, Anglis collegia Romae aperient — Bellum diuturnum totam perdet, corrumpetque Germaniam — Demum, post triginta annos, defatigatae partes, inducias petent, pacis conditionibus oblatis — Sed pactis conventis Westphaliae, populorum a fide abalienatio in publicum jus accipietur — Et nova gentium fiet consociatio, nulla Religionis habito discrimine — In duasque abibit partes Europe, altera quae fidem, rationem altera consequatur — Communis Justitiae auctoritate sublata, et diversis bonorum et malorum finibus propositis in contrarias sententias animi distrahentur — Proque justitia, clandestina aularum consilia, et malitiosae juris interpretationes christianam gentium societatem inter ipsas, et vitae quasi communitatem turbabunt — Ethnicae societatis elementa iterum invalescent, quibus nationes, sublato justitiae fundamento, ad vitae commoditatem, ad opes, ad potentiam ferentur — Qua victoria elatior animis ratio, contra fidem grassabitur, bellumque luctuosissimum vehementiori contentione in Gallia profligabitur — Et Gallia veluti errorum omnium officina divina, atque humana omnia miscebit, Rationi divinos porrigens honores, eum denique nobilissimum existimans thriumphum, si arcem ipsam fidei Romam occupaverit — Duorum Pontificum in acerbissimis casibus animi magnitudo et robur — Pius VII communi omnium ordinum gratulatione, et praesertim Italiae Romam redibit — Qui, sedata de-

mum tempestate, et universae Europae tranquillitate restituta, antiquum resumet opus — Cum variis regnorum rectoribus pactiones conflabit — Pestilentissimos in Religionis perniciem errores proscribet — *Africa* romanis sacris per Francos accedet — Americae, junioribus animis christianam dignitatem arripientes, singulari Ecclesiarum laude florescent — Jamque catholicae fidei spiritus pedetentim instauratur in Germania, in Gallia, in Britannia — Novis Romae factis accessionibus, in *Anglia*, et Hollandia Ecclesiastica hierarchia constituetur — Totus oriens, liberius sacris praeconiis lustrabitur — Sed arctica dominatio minacior Europae cervicibus insultabit — Bellum gravissimum in ipso Asiae, atque Europae umbilico profligabitur — Taurico conflictu Russia susceptis hesperiae dignitatis principiis, formidolosum gentibus nomen esse desinet — Et graecum schisma se suomet ipsum gladio jugulabit — Othomana tyrannis victa dabit manus, eoque pacto in communem gentium civilium familiam Turcae suscipientur, si Christiani fient — Vetus Europe vaferrimis contra Romanam Ecclesiam simultatibus condita, dilapsis sensim vinculis, collabitur — Recentior quidam spiritus, omnium ordinum consensu mirabiliter conspirante, ad rationis cum fide conciliationem, et catholicae sedis obsequium conflabitur — Immensumque Christiani orbis ovile ad communem mentium animorumque concordiam conciliabunt humanis ingeniis divinitus concessa auxilia, vaporati currus, et electricae scriptiones — Quibus arctatis temporum et locorum successionibus, commune humani generis patrimonium catholica veritas communicabitur — Europe collatis viribus Romanae consociationis jura longe lateque prolatabit, Gallia praeeunte — Quae *propagandae fidei*, et sacrae Infantiae operibus Australiam, Polynesiam, et circumpolares regiones sacris expeditionibus peragrabit — Cum apostolicis viris *charitatis* Sorores evangelicae professionis studio certabunt — Sociatis armis Gallia, et Britannia Sinas, dirutis occlusi imperii repagulis, ingredientur — Pro Romano Pontifice, in *principe Sinarum* urbe, occiduae gentes, instauratis aris orabunt — Sed dum Petrus talia commemoraret, lictor ingenti comitatu carcerem ingreditur, et duobus Christi principibus supplicii horam denunciat — Nullo trepidationis signo dato, nuncius accipitur — Et Petrus gravi oratione totum audientium coetum ad Christianam fortitudinem cohortatur — Sese invicem exosculantur Christi Martyres, primusque e Mamertino egreditur Paulus — Qui, ad Aquas Salvias ductus, Romanus civis capite percutitur, plebe patientis gravitatem, et frequentia signa demirante — Sed major populorum expectatio in Vaticano erat — Ubi Satanas totam Romam collegerat, et ipse in propinqui collis altitudine cum stygiis satellitibus consederat, ut o-

blato sese spectaculo exhilararet — Jamque pompa militaris Petrum in medio ligatum ferebat, denso Christianorum comitatu — In Janiculo exponitur Sanctissimus Pontifex — Eoque conspecto, suorum benefactorum subit memoria — Sed pronis ad seditionem animis, militaris captivum circumvenit manus —Qui voto exolvendo assequutus spatium, genibus flexis pro Romae, et orbis terrarum salute Deum precatur — Simulque lictores exorat, ut demisso deorsum capite Cruci affigant — Gestus ei mos est — Romae spectaculo dum sic manet suspensus, Christus conferto Caelicolarum comitatu adest, ejusque anima excepta, in caelum redeunt — Plebs Romana teterrimi sceleris patrati poenitens resipiscit — Christiani nocte concubia funus parant — Pauli corpore ab Aquis Salviis, Petri e Janiculo sublato, descendunt, Angelo praeeunte — Qui specum in Neronianis hortis ostendit, sedem sepulcro destinatam — Nocte insequente redeunt omnes, superque Ss. Apostolorum sepulcrum rem divinam facit Linus, Parthenopaeo, et Aquilejensi pastoribus comitantibus — Tum de successore deligendo agitur — Et communi suffragatione Linus alter a Petro Pontifex creatur.

Jampridem ancipiti Europe certamine quassa
Stare loco nescit: longaevo saucia morbo
Immutat persaepe torum, languentia membra
Consolatura; at primo vix surgit in ortu
Blanda quies, latus ecce aliud mutare coacta:
Acrior insurgit dolor, atque insania crescit,
Et nova discidia, et luctus nova bella recentis
Semina concrescunt. Quo primi dulcia amoris
Vincla recesserunt? Quo grandia coepta secundis
Tentata auspiciis? Rebus concordia nulla;
Nulla fides verbis extat, seseque tuentur
Hostilem in morem gentes, aciesque minaces
Attollunt dextras in mutua damna paratas.
Spiritus ardenti tantum mihi sufficit ore,
Quo, tot bellorum prope jam surgentibus undis,
Circumagar tutus ferrata per agmina vates,
Exclamans: Dio respersae sanguine gentes
O, cohibete gradus: vestrorum audite malorum
Principium. Vates crebro divinior aura
Eduxit terra ex humili, rerumque repostas
Erudiit causas: medicamina certa ferentem
Audierint gentes? Mavortis clausa superbis

Pectora discidiis patientur suavia pacis
Eloquia? Audebo vates: tu, Christe Redemptor
Ultro pollicitus: Tua nomina sancta fatentes
Indignae haudquaquam poterunt succumbere morti.
Eja, immortalis sacra qui spiramina vitae
Afflâsti, primum per saucia membra vigorem
Instaura: Europae populis tua jussa canentem
Ipse rege, ipse imis lectorum inscribe medullis.
Christiadae intenti documenta extrema stupebant
Pontificis, procerum chorus ecce supervenit alter:
Asprenas ima, supera veniebat ab ora
Italiae Hermagoras. Romanae nuncia cladis
Fama per Ausoniae peragrârat septa, nec ulla
Est requies animis, nisi publica signa dedissent
Obsequii. Sero sese venerabilis aevo
Obtulit Asprenas, studium neque miserat impar
Hermagoram, pariterque infanda sub ostia tendunt.
Ac veluti interdum miserando in funere amici
Conveniunt moesti supremum exolvere munus
Officii, si forte viri prudentia maior
Tentârit mentes praesenti avertere casu
Dulcibus alloquiis, furtivaque gaudia miscens,
Tota cohors capit oblatam recreata quietem:
Si tamen ingreditur tristes novus hospes in aedes,
Ipsaque solantis praesentia, primaque verba
Intrantis renovant magni argumenta doloris:
Quin etiam instaurata moris natura resurgit
Acrior, et lacrymae, et gemitus, lamentaque gliscunt;
Haud secus incessusque senum, diffusaque tristi
Vultu moestities inopina silentia turbae
Spectanti fecere: prior venit obvius ollis

Christiadûm pater, et flentes complexus amicos
Flens haesit; sed turba tuens obmutuit, et mox
Prorumpit dolor, et gemitu totum insonat antrum.
Compressos dudum nequiit retinere dolores
Maximus ipse Parens, oculosque ad sidera tollens
Ipse etiam fletu madidos: Jamque excipe, Jesu,
Hos fletus, inquit, pietas quos exprimit una,
Plenaque caelesti descendat gratia rore,
Et mihi Pontifici dignum tu suffice robur,
Ne quidquam nostro patiatur dia periclo
Gloria. Paullatim primos requiêsse fragores
Tum cernens, omnem jussit considere coetum.
At Paulus: Stadium poteris decurrere coeptum,
Sancte Parens; neque res porro non grata feretur
Hospitibus. Magna, o proceres, hac nocte redundant
Gaudia! vaticinans saeclis complenda futuris
Christiadûm Rector memorat. Vix talia fatur,
Conticuere omnes iterum, Petrumque tuentur
Intenti: satis ille facit, sic orsa resumens.

Hactenus incertas genitrix Ecclesia gentes
Diriget, atque suas pascet nutricula alumnas.
Illae autem dicto dociles vestigia certa
Firmare, et prima quibunt gaudere juventa,
Moribus ingenuis laudatae, et fortibus ausis.
Hei mihi! quae series inopina, immensa laborum
Ingruet Europae! quot crimina crimine in uno!
Addita perpetuae lucis comes, ordine verso,
Causa mali fuerit, collectasque aggeret iras.
Humana ut ratio [1] primas concrescere plumas
Sentiet, ut sensim caelo se credet aperto,
Respuet auxilium, fastuque elata superbo

Contemnet matrem ipsa suis jam viribus audax.
Servitium dominae velut intolerabile passa
Abrumpet fidei concordia dogmata, quale
Mancipium indomitum, et vesana excurret ad arma.
Obscoenum attollet nebulosa Britannia signum
Laevis Oxonii [2] spatiis: male tecta favilla
Arripiet Boïos; curis tum fota malignis
Prorumpet per aperta, furensque incendia fundet.
Heu! mala per populos grassari saepe Creator
Ipse sinit, foedis si quando horrentia culpis
Saecula festinat justis compescere poenis.
Et tu, quae ingenti, Germania [3], culta labore
Gaudia spondebas romano plurima Patri,
Prima moves bellum. Ceu verticibus praeruptis
Liquitur informis glacies, et flumine torrens
Auctus montano lapides, stirpesque revulsas,
Et coenum, et sordes spumantibus abripit undis;
Haeresis haud aliter cerebro concepta calenti
Aestuat, et pravo tumefacta cupidine oberrat.
Tres furias [4] video in caelum capita alta ferentes,
Quae Romae excutient solium, Petrique cathedram,
Inspirante Deo, verae bona nuncia vocis
Sancta explanantem norma, populosque docentem
Tollere de medio, et si fas, evertere tendent.
Extincta humano nunquam mala semina corde,
Qua via facta, ruent; foeda contage ferentur
In rabiem insanam, conjurati agmine facto
Saxones et Cimbri, et Chatti, gensque accola Moeni,
Quique Istrum Travamque bibunt, gelidumque Visurgim.
Quin etiam sceleri praetexent nomen honestum [5].
In ferrum populi pro libertate ciebunt

Nomine mendaci: damnosa licentia mentes
Polluet atque animos, obscoenaque bella creabit.
Unica colluvie in tanta immaculata manebit
Regia, Danubius qua primum brachia pandit [6],
Immensi caput imperii: illa crescet in aula
Rex soboles Regum pietate insignis et armis.
Unus veraci pro Relligionis honore
Pugnabit, late undanti retinacula pesti
Immittens, spretaeque tuens oracula Romae.
Hujus ope in primis contagia dira quiescent.
Nec meritum [7] Omnipotens justo sine munere linquet;
Versatum incertae dudum inter praelia vitae
Auferet humanis vicibus, claustroque silenti
Abditus ille pia claudet sua lumina morte.
Interea avertens extremam Ecclesia cladem,
Instructas acies, et propugnacula munit.
Aspice Pamplonae [8] saeva obsidione cadentem
Vulnere praevalido Loyolam: majus ab aethra
Pectora transadiget vulnus, terrestris amorem
Militiae mutans, Christique in bella remittet.
Olli (credideris) totus vix sufficit orbis.
Dumque hominum reparanda salus, studiisque juventus
Erudienda bonis, fideique serenda latinae
Semina stant cordi, sua sub vexilla vocabit
Agmina mille virûm. Vix sacro in nomine Jesu
Ite, ait, et flammis caelestibus urite mundum,
Inclyta progenies totum se effundet in orbem,
Innatas vellens nocuis radicibus herbas.
Invidia infelix stygiis sociata catervis
Agmen divinum sataget praevertere dio
Proposito: at frustra; fortis constantia vincet.

Xaverius (qualis veniet labentibus annis
Heros praevalidus virtute et fortibus ausis!)
Ingens Xaverius latio spectandus amictu
Ornabit meritis romana altaria donis,
Toto et divisos exquiret Japonas orbe,
Atque Sinas peteret, nî portus aura sub ipsos
Ocyor ad superam rapiens deduceret aulam.
Ecce Thyaenaeum [9] praestans Vincentia mittet,
Qui genere egregio natus neque stemmata avorum,
Nec quidquam curat fortunae dona secundae.
Sacriferûm mores meliori reddere formae
Excupiens lectos penetrali in sede sodales
Colliget, adjecto tria praeter cetera voto,
Nil sibi quaerentes oblatis vivere rebus.
At patriam summa clarabit laude Somaschum [10]
Illustris juvenis venetas ductare triremes
Assuetus, qui acie in magna deprensus ab hoste
Terrea militiae mutans stipendia, sese
Diviparae Servatrici sociosque vovebit,
Et trivio ereptos pueros, genitoribus orbos,
Cum sociis solidae pietatis honore docebit.
Aurifero nec magna Tago quoque gloria deerit:
Agnosco juvenem [11] pecora inter inertia primum
Vitam ducentem, mox dira pericula martis
Tractantem. At superi revocatus voce magistri
Aegrotos Christi patientis imagine, egenosque
Hospitio excipiet, sociosque adsciscet: idemque
Omnibus est studium corpus curare, animasque
Conciliare Deo terris, caeloque beare.
Certat cum primis magna virtute Virago,
Dumque legit veterum sanctissima facta virorum

Qui pulchram tulerunt Christi pro nomine mortem,
Martyrii studio ardescet: juga sancta tenentes
Carmeli fratres imitata, piasque sorores
Suaviter impellet Jesu se jungere casto
Conjugio, et saecli fragiles contemnere pompas.
Ast iter insuetum patrio ostentabit ab Arno
Magnanimus Nerius [12], socios in amica receptos
Foedera non ullo quaerens innectere voto.
Dum dia eloquia enucleant, dum sacra frequentant,
Et venia optata donant commissa fatentes,
Atque pios satagunt populis inducere mores;
Communis vitae ratio caelestibus orsis
Aptabit juvenes: ignescet fervidus ardor
Nobilibus jam sponte animis, atque aemula virtus
Educet sanctos ad maxima munera mystas.
At lateri vetus ulcus et immedicabile quibit
Obscoenam, Camille [13], tibi mutare juventam.
Cernis in hospitio naturae damna caducae
Morbosque omnigenos; fratrum mala plurima cernis,
Ac miseret. Sociis operi quacumque vocatis,
Per loca versaris semper, qua tristis egestas
Pallentesque habitant morbi: nunc corpora curas
Arte salutari, extremo luctamine agentes
Nunc animas reficis, caelestia templa recludens.
Jura sodalitii statuens quartum amplius addis
Votum, si foedae furerent contagia pestis,
In fratrum auxilium devotam effundere vitam.
Dum tamen interiore student molimine fessas
Christiadûm gazas tuta componere pace,
Pontifices quaererent ipsos propellere Turcas
Finibus Europae longe lateque minantes.

Salvete, Hispani reges; vos nulla videbunt
Saecula Maurorum imperium perferre quietos;
Horrida bella manent; sed lux extrema Granatae [14]
Ejiciet foedos lybiae in deserta latrones,
Et tota hispanis fremet Africa terra triumphis.
Nec Lyso genitis par deerit fama: minantes
Gadibus excindent funesta caede profanos,
Atque triumphales praeter vada fervida lectas
Educent acies, quae Maurica castra tenebunt
Ad Septam, sanctaeque crucis vexilla locabunt.
Qua rapido objectas Achelous Echinadas aestu
Verberat, ingentes video concurrere classes
Naupactum. Austriades dextram, Venetusque sinistram
Occupat: in medio puppis praetoria signa
Efferet inviolata crucis. Stat Thracia classis
Secura statione sedens, jamque agmina mille
Commemorans nuper gelidum demersa sub Istrum,
Atque ultro Hesperias citroque volare carinas
Impune, et pelago leges dictare tumenti
Prospiciens, gelida haerebit formidine pressa.
De maris imperio certabitur. Impete primo
Navibus adversae naves, rostra obvia rostris
Concurrent, trepidans retrahit sua cornua Luna;
Vincet Christiadûm virtus: classemque virosque
Absument ignes; rapidum mare cuncta vorabit.
Audiet hesperius, simul audiet orbis eous
Felices palmas, Romaeque applaudet ovanti.
Nec dum impacati cecidit violentia Turcae?
Heu! venetûm aeratas demens turbare triremes
Aggreditur. Quantis resonat quassata ruinis
Bellipotens Crete! quantis Rhodos [15] aestuat armis,

Et Melite! furiis etiam tumefactus iniquis
Ire parat pedes, et saevos tentare Polonos,
Et mox Vindobonam saeva obsidione coronat
Circumquaque minans. Hic fors, hic alea stabit
Extrema Europae atque Asiae, cui pareat orbis.
At non Christiadûm pietas immota sedebit.
Ipse quirinali prostratus sede Sacerdos
Gestiet orando truculentam avertere cladem:
Turca ferox fugiet castris devictus apertis:
Diviparae sacra veniet victoria luce,
Grataque posteritas seris venerabitur annis.
At non jacturas animo patiemur inani.
Ejicit Europe Petrum? nova regna recludet,
Atque novos orbes italae prudentia mentis.
Perge, licet, Juvenis [16]: tibi sanctum obstantia mille
Propositum impedient: velut aegri somnia multi
Ridebunt, sueta ingenium tardabit egestas,
Ter senos frustra huc illuc luctaberis annos;
Sed tandem vinces; certa sed mente ferere
Magnum ultra oceanum, tibi barbara regna patebunt.
Jamque in conspectu tellus optata virescit:
Eja Crucem elatam mundo sustolle recenti.
Noto orbi ignotam Ammericen tua gloria junget.
Parte alia Afrorum occidua regione repertas
Intrabit terras Guineae Cantaber, atque
Constituens lectos pingui tellure colonos,
Romae doctrinam proceres, regemque docebit,
Templa Deo ignotis statuens immania terris.
Et mox hesperiis exploratoribus ingens
Brasiliae tellus extremo Atlante patebit,
Et Christi ignotum nomen legemque sonabit.

Quin etiam eoi quaerent confinia mundi.
Relligio praeit et comitat: victricia signa
Vertice Carmano stabunt, qua concolor auro
Per septena vagus devolvitur ostia Ganges.
Gnavos lustrabunt Seras Chrysenque repostam,
Taprobanem, Sindasque et odoriferas Molucas,
Quaeque jugo apparet viridi composta Milispar,
Romanae cineres ubi relligionis, avitas
Relliquias noscent, primo quam fudit eoo
Didymus, atque amens quondam deperdet eous.
At vaticanae contra fundamina petrae
Haeresis insultans latratum attollet inanem.
Haerentem pedibus fors crassum abstergere limum
Surgentes quibunt undae: at mea Roma nitebit
Candidior, tumidis ceu maxima stella procellis.
Orabit, flebit, mox justam ardescet in iram,
Et stygiis iris capita insanata vovebit.
Lethiferum late cernens manare venenum,
Concilio in magno cunctas componere lites
Constituet: vera pro relligione Tridentum [17]
Convenient Patres: maturo examine pendent
Omnia, damnabunt foedae novitatis amantes,
Sanctaque communi fidei concordia stabit,
Et tres Pontifices opus immortale sacrabunt.
Quae fortunata exibit lex sanctior urbe,
Lysiadae primum excipient: Hispania pugnax
Imperat actutum patri parere latino;
Nec fugiet sacra imperia acceptissima caelo
Gallia; praevalidis quamvis circumtonet armis,
Romanam ipsa fidem et ritus servabit avitos.
Infelix ratio! quamvis cognata facultas

Pellicit arcanas naturae agnoscere leges,
Naturae frustra quaeris praevertere fines.
An fidei, ratio, praeeris? tibi conscia soli,
Ejectaque fide, privato examine quaeris
Primarum rerum dias evolvere causas?
Infelix ratio! neque priscum vulnus adactum
Viribus ipsa tuis memoras: vertigine caeca
I, coeptam metire viam: jamque excute cuncta,
Quae posuit Christus sancto incunabula vero.
Quos ego parturii Christo, quos more pudico
Ornavit mea Roma, meis elabier ulnis
Conspicio? Helvetiae [18] bona pubes, montibus altis
Sueta diu placida vitam traducere pace,
Quae vestrae crescunt animis discordibus irae?
Seditio in primis gelidam pessumdabit Arcton.
Quosque Palaestini ingenti molimine belli
Justa triumphali cinxit victoria lauro,
Danosque et Batavos Svetosque amentia perdet.
Anglia praecipue, et pugnax Germania, victae
Succumbent: furiisque novis superantibus, illam
Aulica nequities, regisque effraena libido,
Vitae hanc liberioris amor, sacrisque potita
Principum avarities romano abducet ovili.
Exleges animi campo discurrere aperto
Interea incipient, nullisque coercita fraenis
Errorum monstra aetherium pessumdare verum.
Tunc totam Europen concordia prisca relinquet.
Ac veluti navis solerti excussa magistro,
Quam tumidi exagitant turbata per aequora venti,
Nunc his, nunc illis scopulis allisa recumbit;
Sic auctore Deo, et Petro rectore repulso

Dissilit hac illac, varioque errore viarum
Delata in praeceps tandem, et labefacta fatiscet,
Arma movens Christo, et vero divinitus acto.
Romanus Senior solio vigilabit ab alto,
Errabunda regens certo vestigia filo;
Atque manu forti divina volumina monstrans.
At fallax hostis domini per pinguia culta
Infelix lolium, et nocuas alet improbus herbas.
Quid non Concilio collecta Ecclesia magno
Consurget, campoque potens bellabit aperto?
Pontificum voce extemplo tremefacta potenti
Improbitas caecos Erebi properâsset ad amnes.
Sperabis frustra: impietas obstantia sacris
Gressibus objiciet, sibi cuncta licere putabit.
At si vesano Romana Ecclesia nisu
Excutitur, nunquam moderamina sancta remittet.
Quid video totum diffundi laeta per orbem
Agmina? bellipotens cerno genus arma movere,
Semotasque intrare plagas, terrasque profundis
Septas oceanis. Quae vobis tanta cupido,
Illustres animae? Quae tanta in pectore flamma?
Unus amor Christum cunctas vulgare per oras,
Fratresque excire in tenebris somnoque morantes.
Quin video pubem variis e partibus orbis
Romam confluere [19]; extremus quos nutrit Iapon,
Decolor atque Indus, Syriae et praedivitis ora,
Atque Afer zonae torrenti eductus ab igne,
Graecusque Hebraeusque (Sinensibus [20] hospita Siren
Suppeditat tectum caelumque salubrius) omnes
Conveniunt Romam, qua indulgentissima vestit
Dextera collectos, et tectis nutrit in ìsdem.

Vos etiam Europes polluta relinquite regna,
Quot sapitis, pueri; vobis collegia pandet
Romula majestas; Germanus et Hungarus, atque
Anglus, pestiferi procul a contage veneni
Sincerum accipient fidei caelestis amorem.
Sic verum Roma aeternum custodiet ignem,
Accedent cui mille faces, et lumine puro
Ardebunt, nebulis super impendentibus, atque
Ostendent vera flammantem lampade lucem.

Et tibi nulla quies sumptis Germania in armis?
Dirum triginta [21] bellum pugnabitur annos.
Quo vertit sua cumque lues vestigia, surgent
Discordes populorum ignes, iraeque rebelles.
Fraterno undabunt germanica rura cruore.
Heu! siccis oculis ignava propago videbit
Ipsos Rectores rerum, dum nomine dici
Christigenae gaudent, Europae in viscera ferre
Vulnus mortiferum, quod nulla medebitur aetas.

Westphalia [22] infelix et detestabile nomen!
Foedera tu sancis seriem allatura dolorum
Immensam: per te confusis finibus error
Et verum tecto sub eodem vivere jussa:
Per te conveniunt sua regno commoda cuique
Arbitria: utilitas justi fit mater et aequi,
Cedit Relligio leges moderata priores.
Ex illo rebus praeerit ratio ethnica agendis.
Gloria bellorum, aularum spectata potentum
Dexteritas inerit communibus unica meta
Consiliis: rerum suadente cupidine, reges
Et gentes auctore Deo, Christique loquelis
Deficient. Tristi nutabunt regna tumultu.

Pontificum virtus romana e sede loquetur
Incassum. Quamvis jussis obsistere regum
Audebunt, quamvis populos retinere ruentes,
Res sacra labetur primum, mox publica; pernox
Seditio e populis summas irrumpet in aulas;
Insurgent gentes ulturae crimina Regum.
Tum veluti victis ratio jactantior aris
Christiadûm, ipsa sibi demens! altaria poscet
Ceu Dea [*3], naturae comes una, et regula vitae.
Aurae particulam conata extinguere diam,
Lumina rejiciet veteris flammantia solis;
Procudens calido rerum nova monstra cerebro,
Excipiet risu gentis cunabula sanctae.
Antiquo dejecta gradu sacra dogmata spernet:
Christiadûm patrem maculosa labe notabit.
Demum, quae gnavis vigilans Ecclesia curis
Condidit Europen, Ecclesia spreta jacebit,
Civili motu, factisque excussa regundis.
Hei mihi! torpenti male provida Gallia luxu
Diffluet, inque dies veterem deponet amorem
Rerum sanctarum, et fastu languescet inerti.
Dum festas agitat luces, dum tota renidet
Femineo cultu, invadet furiale venenum
Venas, ingenium limans penitasque medullas.
Tunc cum deficient animi in certamina molles,
Materiemque mali immensam properaverit hostis,
Ecquisnam quaeret venienti opponere frontem?
Heroa impavidum pollens Aquitania gignet.
Vincenti, ipse tuo recreas me nomine: victor
Electum ipse chorum statuis sub legibus aequis
Viventem; sanctis virtus quae exercita castris

Crescet! quantae acies Christi in certamina iturae!
Sordentis tugurî congestum e cespite culmen
Ipse subis aeque, populosaque compita lustras
Urbibus in mediis, aurataque limina Regum
Et molles animos placidis sermonibus urges,
Lascivamque trahis sensim ad caelestia gentem.
A *Paulo* [4] nomen veniens extabit in aevum
Divinum populis signum, quo colliget uno
Dius amor majora suae miracula flammae.
 Tempus erit, cum praecipiti lymphata furore
Gallia turbabit funesto cuncta tumultu
Vociferans: Segni languentem mole senectae
Romanam cathedram quidnam defendere prosit?
Ipsa genus nostrum norma meliore refixit:
At nobis perfecta viris maturior aetas;
Possumus ipsimet pedibus procedere rectis.
Ad meliora gradu firmo tendentibus obstat
Roma: satis vixit. Sic fantes omine diro
Motibus excelsam quatient civilibus arcem;
Et vetus errorum nubes, quae saecula quondam
Ethnica foedârat, pollutam erumpet in auram,
Per cunctos populos cognatae gentis amorem
Extinguens, ipsumque parans extinguere Christum.
 Tum sociale nefas et inextricabilis error
Omnia provolvet civilis turbine belli
Imperia, atque sua dominos de sede movebit,
Pestiferum tabum, et contagia foeda propagans.
Dextra eadem [5] effuso rorabit sanguine Regum:
Dextra eadem Romam, et romanas polluet aras.
At terris curvas animas, caelestium inanes
Viderit Omnipotens humili se involvere coeno,

Ac veluti infectum purgatur in ignibus aurum,
Coeperit indignans gravibus pulsare flagellis.
Regales iras in aperta tumescere bella
Prospicio sensim: vindictae nuncia certa
Divinae, belli ratio transfertur [26] in unam
Italiam, cursantque duces cursantque phalanges.
Heu! rerum domina! heu! caelo acceptissima tellus
Externis demum servitum gentibus ibit.
Europe infelix! quae damna miserrima servas
Funesto excidio? rapiet moderamina rerum
Praeceps ambitio; celsis regnabit in aulis
Perjura improbitas, furet infinita potestas
Imperii, aspernata Deum, et communia jura.
At populi exleges divina oracula temni
Non impune vident; procurrere longius ausi
Attollent capita, et regalia jussa refellent.
Nobile Pontificum video par: nobile nomen
A pietate [27] ferent: per nulla pericula fractum
Ingens propositum totus mirabitur orbis.
Ille, viden? morbo quamvis confectus et annis,
Austriacis si qua posset succurrere rebus,
Vindobonam quaerens concordia foedera inibit:
At mox Francigenûm insanos resonare fragores
Audiet. Heu! quantum clarae damna ultima gentis
Et versum ingenium, et despectas ingemet aras!
Pastores socios nunc ipse in mutua junget
Officia, ut pelago valeant obstare tumenti,
Nunc monitis, satagetque minis terrere rebelles;
At frustra: sumptis vesania crescet in armis,
Et gelidas superans vehemens exercitus Alpes,
Italiam irrumpet, romanaque tecta replebit.

Pontificem captum, sed libera verba loquentem
Et sacra tractantem semota Valentia servat:
Vix cinerem exanimum romana Ecclesia habebit
Effusa in lacrymas, melioraque tempora sperans
Fratribus exemplum romana ostendet in urna.
At semel irato pelago, majora tumescent
Aequora, nec Romae deerit constantia major.
Moenibus aequoreis Venetûm collecta coibit [18]
Pontificum virtus: suffragia libera Romae
Praeficient alium, mansuetis moribus agnum,
Cum saeva congressurum feritate leonum.
Gallorum ille petens lapsas sarcire ruinas
Foedera componet primum, regemque potentis
Imperii accitus sancto sacrabit olivo.
Quis non tranquillae speraret tempora pacis?
Pontifici tamen instabit congesta malorum
Illuvies: ditione sua spoliabitur. Ille
Impavidus, factusque malis erectior ibit,
Ibit in exilium, violataque jura queretur,
Factique auctores Christi prohibebit ab aris.
Fontem ad Bellaqueum stabit ter circiter annos.
Injectis at qui Rector magna aequora sepsit
Aggeribus, jussitque mari: Ne longius ito;
Amplius insanos nolit saevire furores.
Ille diu victor, robur toto orbe coactum
In bella educens, gelidas irrumpet ad Arctos.
Non hyemis mediae discrimina certa cavebit
Imprudens; flabit Boreas violentior, atque
Densabit glaciem: dextra malesumpta minaci
Arma cadent, victusque gelu remeabit inermis.
Jam pompae festique dies, jam laeta parantur

Gaudia; festivis jam plausibus assonat aether.
En erit ille dies, festo cum excita triumpho
Infremet Ausonia, atque animis sublata secundis
Pontificem passis reducem amplexabitur ulnis?
Ingredere, o Pie magne; tua te sede receptum
Vaticana iterum tueantur culmina, caelo
Brachia pandentem, et populis plaudentibus omen
Perpetuae pacis, melioraque saecla precantem.

Talia narrabat Petrus, mirataque turba
Jure triumphanti, romanaque templa petenti
Plaudere Pontifici properat: tamen omnia mutat
Res nova continuo. Breviori noctis abacto
Curriculo, humentes caelo dimoverat umbras
Sol oriens; portam vigili statione tenentes
Excubiae aeratas reserant de more fenestras;
Continuo immissus radiorum lucidus ordo
Constiterat summo super ipsius ore loquentis.
Ecce autem subitus matronas concutit horror
Praecipue; ingentes inopina silentia plausus
Excipiunt; animo exitii subit hora propinqui:
Injectis dolor ultro moris violentior ardet,
Concussique animi luctu, subitusque per omnes
It gemitus. Tanto nequicquam obstare dolori
Conspiciens Pater ipse gemit, frontemque reclinans
Naturae nequiit primos compescere motus.
Mox ubi tristities laxa exultavit habena
Liberior, coepitque ingens subsidere murmur,
Assurgit graviora loquens, oculoque micanti

Ardescens Senior: Lacrymas abstergite, Nati,
Jamque alios potius Christi cantare triumphos
Praestiterit. Magnis mutant praecordia dictis
Christigenae, intentisque oculis ventura canentem
Expectant: Summi secreta stupescite Regis
Consilia, o Nati; modico qui tempore luctu
Desinit ingenti sanctam squalescere sponsam,
Omnia mox mutans, majori lumine vestit,
Aetatis ver purpureum, laetamque juventam
Artubus instaurans: veluti si nubis aquosae
Scinditur extemplo gremium, noctemque hyememque
Et raucos tonitrus, et toto plurima caelo
Fulgura contremuit tellus: mox aeris oris
Abstersis, redit aethereo sol laetior orbe,
Itque dies purae fulgescens lucis amictu.
At tu foedifragis, ratio, tremefacta ruinis
Vertere vela retro, cursusque iterare relictos
Docta viam melius quibis! si pacta tueris
Foedera, si fidei numen testata sororis
Veridicum oraclum audieris, virtutis acumen
Exacues iterum ipsa tuae, et pax alma redibit.
Dum tot doctrinae [9], dum tot systemata rerum
Naufragio in misero scopulis allisa recumbunt,
Una eademque manens Romana Ecclesia stabit.
Uno non poterit subniti cardine mundus,
Inque vicem variae gentes venientque cadentque;
Illa throno innitens solido, plenaque micabit
Majestate sedens, cunctis immota procellis.
  Anglia dum saevo in certamine fulminat Indos,
Dum Cereris leges aequato examine librat,
Occulto antiquam motu propellere labem

Quaeret, et amissum rursus cognoscere lumen.
At tu, quae injustos tenus hac perpessa dolores
Caecis vixisti tenebris, occultaque crescis,
Tractando rerum poteris si accedere clavo,
Quae dabis attonito spectacula splendida mundo?
Auguror? effractis jam tandem libera nodis
Praevalida virtute virûm, audacique loquentum
Proposito insignis, longis erumpet ab umbris
Illa diu florens, Anglorum Ecclesia quondam [30].
O, salve, mihi sponsa iterum, mihi reddita longum
Discidium flenti! jam pristina jura resumis!
Et Te, quae, arctoa pelagi stridente ruina,
Ingeniosa vales pontum compescere jactis
Objicibus, (tumidis virtus tamen ignea cedet
Fluctibus errorum) longos explêsse furores
Poeniteat tandem. Magni pastoris ovile
Ingredere, o saevo defuncta Hollandia [31] bello;
Saecula perque tria audaci insanire tumultu
Fessa, jugum tandem crudele excinde parentum.
Nec minus ingeniis Germania rapta superbis,
Pontificum sacris obsistere legibus ausa,
Dudum anceps, dudum studio infoecunda maligno
Vela dabit retro. Dubiae vertiginis umbrae
Vanescent, doctisque phalanx liberrima verbis
Suadebit Roma [32] amissam reparare salutem.
Cum tumido haud unus surgens Athanasius hoste
Congressurus erit: neque vis, neque carceris umbrae
Propositum flectent. Magno ecce Borussia motu
Aestuat, atque novae spem libertatis adepta
Plurima Christiadûm virtus coit omnis in unum
Pro re romana. Veri lux omnia vincet.

Victrix excedet pleno certamine Roma.
Jamque dies properat, cum animo meliora resumat
Civili detrita diu jam Hispania bello.
Ut saepe indomitis languescere corpora morbis
Cernimus, atque imis saevos lenire dolores
Visceribus vis nulla valet, non ipsa medentum
Auxilia, infecti nisi primum flamma veneni
Concidit, et serpens venis consumitur humor;
Haud aliter populi, si lurida membra pererrat
Caeca lues, scelerum sordes per justa relinquent
Supplicia, ingenuus donec purusque recurrat
Igneus ille animis vigor, et caelestis origo
Seminibus, redeatque integro corpore sanguis.
Oh! cohibete iras fraterna in pectora versas;
Vel si bellorum capiat generosa cupido,
Sacrilegos pia bella Dei convertite in hostes [33].
Convertet pia bella feros Hispania in hostes,
Et freta transiliet victrix, Maurosque feroces
Contundet. Via jamque patet, qua prisca redibit
Gloria, qua patrum vincent pia facta Nepotes.
Quo fletu ignescet Senior, cum caedis iniquae
Barbaries sitiens gelida bacchabitur Arcto,
Jurabitque astu romanam extinguere gentem?
Graeca superstitio, Scythicas servata per oras,
Imperio anquiret vastas conjungere habenas,
Et populos varia quamvis de stirpe creatos
Lege una, atque uno cultu et rectore tenere.
Excitus Europa clamor se tollet ab omni,
Ipse et Hyperboreis gradiens Regnator ab oris
Pontificem inviset [34]. Caelo Deus ipse ministrat
Insolitum Patri eloquium; mortalia desunt

Arma? preces, lacrymasque, Dei sueta arma, movebit.
Contracta Osmalidae sua gyro regna minori
Cernent, et mediam cursu pallescere Lunam.
Heu! quonam recidit quondam nova Roma, prioris
Aemula? segnitiem supra dum mollior aether
Afflabit temere, et foedo composta cubili
Dormiet, arentes magno e diademate flores
Projiciet sensim, vastaque elapsa ruina
Divitis imperii dissolvi vincla videbit.
Dum retinere nequit sceptrum, frontemque labantem
Incurvat magnae sub iniquae mole coronae
Horrida barbaries, longo defessa veterno,
Occidui validis humeris aegerrima mundi
Nitetur: jamjamque seni, jamjamque ruenti
Ecquisnam miserans dextram protendet amicam?
Si veteri Eoo supremae terminus horae
Adpetat, ecquisnam potietur praedia justus
Heres, aut veniens vacua consistet in aula?
Sicubi Petropolis [35] commoto erumpet ab aestu,
Et dominaturus ripis septemplicis Istri
Instabit ductor, Turcae formidine poenae
Exurgent somno, supremaque damna timebunt.
Fulgere romano spectabunt lumine solem.
Crediderim? primum veniet poscentibus orbe
Hesperio auxilium: Christi commune sepulcrum
Nomen erit belli; properabunt Gallus et Anglus
Auxiliaturi, modo Turcae castra reposcant
Christiadûm, et cunctas Christi vexilla per oras
Liberiora sinant volitare, atque ara resurgat,
Indomitis toties prostrata assultibus ara.
Tauride longinqua bellum pugnabitur ingens.

At non immani mille ejaculata fragore
Tormenta, occiduum mira quae repperit arte
Ingenium; Euxini tumidum non mille carinis
Circumsessum aequor; non oppida turribus atque
Rupis inacessae objicibus, fluctuque marino
Deturbata solo, torpentia corda movebunt.
Christiadûm virtus Turcarum pectora vincet.
Parebunt Turcae indociles? promissa replebunt?
Heu! si bosphoricis othomana superbia claustris
Concidet, insultans violentior India [36] surget:
Quanto purpureus fluitabit sanguine Ganges!
Ritus exosa externos nomenque latinum
Per totam indignata Asiam violentia gliscet.
Christiadûm templa irrumpent, peregrinaque sacra
Turbabunt: rabiem poterit vitare cruentam
Nulla aetas nullumque genus: passimque puellae
Et pueri, invalidique senes, matresque virique
Caedentur: misera undabunt altaria strage,
Et vix ingenti poterit conamine victrix
Anglia stare loco. Vincet tamen Anglia pugnas,
Propositique potens ipsa, et simul aemula quondam
Gallia, collatis signis, extrema Sinarum
Regna petent: aliam rerum irrequieta cupido
Pertrahet; illatum cultoribus altera Christi
Dedecus ultum ibit. Longinqua per aequora vectas
Littore ab Hesperio classes mirabitur Eos
Serior heu! studiis; mirabitur agmina lethi
Non timida, objectas, torrentia flumina, moles
Spernere, et audaci sub moenia tendere nisu
Hac ignota tenus; clausas procumbere portas,
Et male susceptum imperii vanescere nomen

Caelestis [37] cernet: vetus instaurabitur ara,
Ejectique loco repetent sua munia Christi
Cultores, ritusque sacros cultumque reponent.
At quasnam video totum procedere in orbem
Insuetas acies, seseque adhibere virilis
Officii comites? lectis quacumque puellis
Gallia castra locat, cordi opportuna parando;
Prima rudimenta edoctae primosque labores,
Impavidae incedent: non illas frigora dura
Sithoniaeque nives, non India fusca, Sinaeque
Impedient. Bellum, lethi qua mille figuras
Explicat, auxilium impavidae morientibus adsunt,
Aegris lenimenta ferunt, praestantibus ornant
Moribus ingenuos animos. Quae pectore, Jesu,
Virgineo est virtus! Namquae miracula profers!
Lugduno [38] exibunt operis primordia sancti,
Et pueri hesperio prognati sidere eoos
Perquirent pueros. Manibus data symbola puris
Per plateas passim expositos, fluviosque sinenses
Infantes Jesu sacra ad cunabula ducet:
Innocuam sobolem pascent lectissima Matrum
Ubera: jamque ipso servati limine vitae
Caelestem agnoscent patrem, qui roscida vestit
Lylia camporum, et natos, sua pignora, pascit.
Jamque sub auspiciis prognata America secundis,
Ut variis statuere locis primordia rerum
Teutonus, atque Anglus [39], romana altaria latis
Constituet terris: Hispana propago praeibit,
Ausa prior terrae fines tentare latentes.
At variae assimili prognatae ab origine gentes
Viribus omnigenis ad maxima quaeque ferentur;

Barbarus his unis tendet succumbere mundus.
Hinc italae virtutis honos, et plurima sedes
Pontificum, et crescens semper reverentia Romae.
Jam video occiduos populos considere circum
Aestiferam Lybien [40]: justo pars territa bello,
Forti Francorum imperio parere coacta
Romulidûm sanctos ritus moresque sequetur.
At vasta in medio regna impacata tenebit
Barbaries: Caeli vetat insanabilis ardor
Longius indugredi, et gentes penetrare repostas.
At quosnam, Jesu, linquet tua cura quietos?
Quot fuscos vultus italas errare per urbes
Aspicio [41]? Ecce Ligur sancto ferventior igne
Finibus Aegypti pacta mercede coemptos
Educat occiduis regnis. Assuesce sacratis
Christiadûm ordinibus, bona pubes; ipsa paternos
Ad fines remeans, fidei praecepta latinae
Erudies populos, nec vos meminisse pigebit
Et Romam et Tiberim, et communem Patris amorem.
Quae fugiet tellus romani patris amorem?
Australi [42] interfusa mari quae plurima nabit
Insula, spectabit vastos contemnere fluctus,
Centum oratores pacis bona verba ferentes;
Nec dura impediet glacies constricta polorum
Verticibus. Magno Jessaeae numine nixa
Hesperiis audax pubes prodibit ab oris:
Qua via nulla, rates aeterna procella fatigat;
Aggeribus semper niveis informis et alto
Terra gelu languet; qua nulla innascitur arbor,
Nullaque sublimes sese fert arbor in auras;
Lumine sublustri paucas vix emicat horas

Sol fugiens; Christi urget amor glacialibus antris
Quaerere silvestres vultus: pretiumque cruoris
Divini, et Romae sanctos ostendere ritus
Audent, et lympha populos lustrare salubri.
Humanum propius divina potentia ducet
Ingenium, afflabitque audentius, abdita monstrans,
Quae latuere diu arcanis celata tenebris.
Monstratas potietur opes, ususque repertis
Terrigena, atque novis confestim viribus auctus,
Naturae monita arcanae in sua commoda vertet,
Ostentans orbi rerum miracla novarum.
Tum vero spatium et tempus, quae forma creatas
Immensum per inane movet, sistitque figuras,
Sin delere minus poterunt, molimine vincent
Assiduo: hic diriment longa intervalla locorum
Igne vaporati currus, structaeque tenaci
Mille viae ferro; anteibit revolubile tempus
Vivax electri lampas, terrasque fretumque
Trajiciens dicto citius, commissaque portans [43].
Ecquando totus variis e partibus orbis
Una domus fiet? si eadem praefulget eodem
Effigies vultu, generisque simillima origo,
Ecquando una fides, merito circumdata cultu,
Unica Relligio positis operabitur aris,
Atque unus Pastor plenum servabit ovile?
Eja, nova obscoenis Europe exito tenebris,
Japheto sata gens, soboli auxiliare sorori.
Et vos praecipue, queis est custodia veri
Tradita romani, gentes prodite latinae:
Jamque, Deo monstrante viam, deponite bella
Interius. Vobis Oriens sua moenia pandit,

Atque novos Asia et parat Africa terra triumphos.
  Talia narrârat Senior, jamque ordine signa
Plurima gaudebat saecli monstrare futuri,
Nuncius ecce autem funesta inopinus ab aula
In medio abrumpit pulcherrima stamina telae.
Eloquar, an sileam? dirus comitatus euntis,
Et ferale supercilium, vultusque minaces
Ingenium munusque notant. Totum assonat antrum
Ingenti gemitu, patrem circumdare cuncti
Flentes insolabiliter, veniamque precantes.
Ipse gravi vultu stetit: et Compescite fletus,
O Nati, fatur. Nunc fas ostendere Romae
Christiadas fortes pro Christo extrema subire.
Jamque agite hoc laeti funus comitate supremum,
Gloria quo Christo terris, nobisque parantur
Gaudia Caelicolûm. Sed quae vox vulnerat aures?
Namquid defixis oculis, ultroque morantes
Conspicio Heroas? pro Christo ferre paratos
Omnia non terret lethi gravioris imago;
Ah! dolor extremo est sejungi funere, dumque
Unanimes fortesque eadem certamina poscunt,
Laetior optata rideret adorea luce,
Uno eodemque simul si fas procumbere letho.
Divisit vario Omnipotens pro munere sortes,
Et quoniam ad gentes ierat legatus iniquas,
Gentibus exemplar, romano more, securi
Percutitur Paulus. Petro cui cura tuendi
Praecipue Hebraeos, et totum pascere ovile
Christiadûm, obtingit crudeli in robore vitam
Linquere mortalem, poenaque referre magistrum.
At prius horrendum quam turba relinqueret antrum,

Alter in alterius complexu moestus inhaeret;
Horaque extrema sibi donant mutua amoris
Pignora, praedulces lacrymas, atque oscula pacis.
Nec prohibet quisquam. Tantae pietatis imago
Permovet armatos ipsos, ultroque volutae
Ex oculis lacrymae. Major mox spiritus ambos
Corripit, elatisque animis, et fronte serena:
Ibimus, exclamat Petrus, jamque ibimus: horae
Divisi spatio supera jungemur in aula.
Antetulit Paulus gressum, turbaeque sequenti
Eja, viri, mora nulla, inquit: si tempus, eamus.
Atque iterum Petrum adspiciens, iterumque salutans,
Ire parat, circumque dedit densata caterva.

Est locus haud multum romana dissitus urbe,
Qui nomen clarum Salvì [44] deducit ab unda;
Quoque reos justae damnatos crimine mortis
Lictores trahere assuêrant, atque icere ferro.
Scilicet urbanas majestas romula caedes
Horruerat, ne per vacuum veneranda potestas
Pontificum occurrens fuso violata maneret
Sanguine. Quis credat domino haec curata Nerone,
Cum fora, templa, domus exundavere cruentis
Exitiis, et Roma fuit commune sepulchrum?
Tarsensis veluti scelerum execrabilis auctor
Extra urbem rapitur crudeli occumbere letho:
Turbidus huc illuc cuneo stipatus iniquo
It Scapulas: tandem acclivi super aggere ripae,
Captivum in medio compostum ostentat, et omnem
Territat ingenti confertum voce popellum.
Discite, romanos moniti non temnere divos.
Dicere Tarsensis populo jam pauca parabat.

Illum interpellans ductor: Jamque adfuit hora,
Inclamat, verbisque nefas consumere lucem.
Ille genu flexo superos in vota precatur,
Atque offert collum: tortor data jussa facessit,
Cervicem obtruncans, dextraque attollit in altum
Ostendens populo. At cervix abscissa micanti
Lumine diffulsit; neque guttae sanguinis ullae
Prosiluere genis; fluit undique lacteus humor.
Constitit interea Lictor conterritus, atque
Projicit in terram caput: admirabile dictu!
Emicuit ter humo, ternae erupere scatebrae.
Obstupuere omnes; surgit vox omnibus una,
Quod bene, Christe, tibi, verba inter singula dicit.
Ut primum populos praesentia signa stupentes
Conspexit Satanas, subito clangore morantes
Increpuit; sonitu circum intonuere minaci
Aequora camporum, Tiberisque immota fluenta,
Et septingeminae tremuere cacumina Romae.
Confestim ecce novo strepuerunt cornua cantu:
Ad vaticanum collem properate: jubebat
Clamor tartareus, calefactaque corda tumultu
Horribili trepidant: stygium tum stridula signum
Buccina continuo repetit; motuque repenti
Agmina consternata ruunt, cuneosque coactos
Tartarei extimulant comites, et tristia belli
Crimina fundentes ululatibus omnia complent,
Et vaticanus strepit omnis murmure campus.
Jamque adeo densis exercitus ibat in armis,
Et mamertino egredientem carcere summum
Pontificem in medio excipiunt. Ceu forte juvencum
Deprendere lupi innocuum, saturare ferinae

Longa gulae optantes jejunia, corpore in uno
Consistunt, revomuntque odii implacabilis aestus.
Nec modo Romulidas agitat vesania: circum
Debacchata ruit Judae inclementia, risusque
Aggerat obscoenos, capitique opprobria sancto.
Classica ubique sonant, totaque ex urbe ruentes
Prospiceres properare simul plebemque patresque:
Pars pedes ire parat campo: pars ardua celsis
Instat equis; clamorque virûm clangorque tubarum
It caelo, pulsi colles clamore resultant.
Emicat in medio Petrus: dumque horrida turba
Inclamat, strepituque viae plausuque tremiscunt,
Oris honos, mitique decens reverentia vultu,
Spectanti curam injiciunt, et sortis iniquae
Insontisque senis multi miserescere discunt.
Qua juga multiplici demittit mollia clivo
Janiculum [45], vaticanae patet area vallis
Subter, et undisono Tiberis dilabitur alveo,
Impia signatae horrescunt spectacula caedis.
Jamque inclinabat caelo lux aurea, Titan
Ocyor horrendo fugientem crimine currum
Ipse videbatur pallenti condere Ibero:
Christiadûm Rector, densis comitantibus armis,
Passu incedebat lento. Pius ordine longo
Subsequitur coetus: quamvis extrema Parentis
Jussa obeunt, vocemque premunt, tamen intima cordis
Ingens, infandus laniat dolor. Ecce patescit
Montis planities caedi devota nefandae.
Pompa jugis spatiata stetit, summoque locatur
Culmine captivus: se circumfusa repente
Adglomerat plebs impatiens, pars magna propinquos

Adscendit colles, unde omnis pompa videtur.
Janiculi declive solum, vallesque supinae
Opplentur numero: magno exululata tumultu
Plebes innocuo conclamat sanguine poenas.
Bacchatur Satanas summo stans vertice: cernit
Undique despectum populo, mortique propinquum
Christiadûm regem, et spoliis exultat opimis,
Exacuitque iras, popularia pectora acerbans.
Non tamen impediit, magno quin murmure magna
Seditio irrueret; tanti benefacta parentis
Stant cunctis insculpta animis: audacia crescit,
Insontem magno Petrum clamore requirunt.
Districtis errat gladiis exercitus omnis
Terrificatque minis. Ubi demum cuncta silescunt,
Lictorum rabies corpus miserabile cingit.
Postulat hoc Senior, neque tristior ira recusat,
Ut liceat sibi conceptum persolvere votum.
Procubuitque genu, atque oculos ad sidera tutos
Extulit; aspectu tanto stupefacta silescit
Militis ira, fremens siluit plebs, atque per auras
Continuo auditae tales resonare loquelae:
Omnipotens Deus, ecce tibi mea magna resigno
Munia. Pro Roma, toto proque orbe cruorem
Accipe, quem fundo: grates atque accipe, quod me
Per terras Christique vicem, et tua sceptra ferentem
Adsimili Christo dignaris imagine mortis.
Tum placidus mitisque tuens extantia circum
Agmina: Si qua senis teneat vos cura precantis,
Quandoquidem malo morior suspensus ab alto,
Ne mihi fas fama ingenti certare magistro:
Figite me trabibus, sed verso corpore: ad imum

Vertice demisso liceat mihi cernere caelum.
Continuo ejecere solo, pedibusque ligatum
Funerea deorsum imponunt super arbore; telo
Inde pedes teloque manus terebrantur acuto.
Sanguineus toto manat de corpore rivus.
Interea insanas voces ad sidera jactant
Laetitiae, Hebraeûmque deum regemque salutant.
Ille autem moesto dejectus lumina vultu,
Lumina vicina pallentia morte, suprema
Voce vocans Superos, animam commendat habendam.
Illius ante oculos caeli patuere nitentis
Atria; paciferis evinctae tempora ramis
Felices animae adveniunt, quae sanguine fuso
Divinam sanxere fidem: mediusque nitenti
Concilio Fratrum, et magna comitante corona
Aligerûm Jesus aderat: sensim emicat ore
Ignis vividior; te Jesum nomine, Jesum
Semihiante vocat labio, Jesumque tuetur
Subridens. Risumque inter mortalia linquit
Vincula subsiliens anima, excipiturque sacratis
Ordinibus, regnique volat caelestis ad aulam.

Ut plebs funerea pendentem ex arbore vidit,
Vidit uti longo manantia membra cruore,
Paullatim incoepit discedere: crimine quales
Contacti horrendo, caedis spectacula linquunt
Diversi, Romamque petunt, sub paupere tecto
Mutatis animis, summisque loquuntur in aulis
Nomen Christiadûm gentisque ingentia facta.

At non Christigenae sancto respersa cruore
Culmina deseruere: simul scelerata caterva
Coepit abire loco, per depressas convalles

Securi latitant, placidaeque silentia noctis
Expectant. Cunctis eadem sententia constat
Corpus sublegere, et sancta componere in urna:
Atque ubi jam tenebras induxit Vesper amicas,
Conveniunt: alii diffusas vulnere guttas
Excipiunt pateris; concretam sanguine terram
Pars legere, et bibulos phyala servare lapillos.
Discissas alii vestes et sagmina servant,
Dulces relliquias, magni solatia luctus.
Jamque adeo ingenti steterant circum ordine turbae,
Funereas aegro volventes pectore curas,
Moesta adventabat curru matrona superbo,
Quem longo sequitur pubes concussa dolore.
Eunc (jure olli funebres ducere pompas
Contigit), Ipsa diu curas experta paternas
Pastorum, Pauli sanctos collegerat artus,
Et secum curru extulerat; mox quaerit ab ipsis
Clivis Janiculi, Petri deducere corpus,
Et propria socios ambo deponere sede.
Continuo sanctis acies lectissima curis
Funerea exanimum demittunt arbore pondus.
Ut juxta matrona stetit, complendaque jussit
Officia, in lacrymas abeunt iterum, atque nefastum
Implêrunt clamore locum. Mox quatuor adsunt
Pontifices, artusque sacros jam sanguine multo
Abstergunt; alii fragrantia balsama fundunt,
Inducunt alii fulgenti murice vestes,
Et vale dicturi cedro clausere parata.
Supponunt certatim humeros, curruque locârunt.
Ire parat Lucina pedes, neque pignora sancta
Dignam se retur curru circumdare eodem.

At Linus et Cletus, quos primo Ecclesia honore
Romula dignatur, juxta sedere, sacrati
Custodes oneris. Tum cetera turba sequuntur
Pastores populique. Alta jam nocte per umbras
Ibant, nec supero vacuos custode relinquit
Rex caeli sanctos comites; namque aethere summo
Aliger obscuro circum velamine tectus,
Sydereoque flagrans clypeo comitatur euntes,
Ipseque veloces agitans temone jugales.
Jamque supercilio montis descenditur, atque
Venere ad saevi praeculta vireta Neronis.
Qua spelunca patet, viridi submota recessu,
Scindunt se extemplo nebulae, et pulcherrimus Ales
Emicuit: Domus en, inquit, quaesita sepulcro.
Sic ait, et subito tenues sublatus in auras
Vanuit. Oblato tum visu immobilis haesit
Tota phalanx, properaque Linus sic voce secutus:
En semper Tua cura sumus, Rex optime caeli,
Perque diem noctemque tuae circumdamur alae
Tegmine: quae nostros oculos terrebit imago,
Te duce, te comite? At vosmet vidistis, amici,
Aethereae juvenem missum divinitus aulae?
At tu, Sancte puer, qui nos discrimine magno
Tanti insueta pati vidisti incendia luctus,
Nostras fer caelo lacrymas: si plura ferenda,
Et caeli Genitor justo exercere dolore
Christiadas patitur, vires animosque ministret.
Sit dolor hic ferimus forti quem pectore, magnae
Virtutis calcar, fideique insigne trophaeum.
Tum Linus alloquitur socios: Incoepta secundat
Hactenus ipse Deus: quando caelestia ducunt

Omina, nec nostrum est causas aperire futuras,
Haec tumuli sedes: monstrabit cetera Christus.
His dictis, celso primum demittere curru
Sacratas satagunt arcas; tellure locatas
Circumstant iterum totus chorus ordine longo,
Et reserant iterum; sanctissima corpora spectant
Extremum, et pedibus dant extrema oscula sanctis.
At Linus ingenti dedit haec pia verba dolore:
En vos, o Proceres, meriti sine honore sepulcri
Liquit barbaries, neque enim meliora referre
Improba Roma potest dium aversata nitorem
Lucis, et antiquo gaudens sordescere coeno.
Talia, vae miserae! benefactis munera solvit!
Hoc mercedis erat, submoto oriente profectis,
Ut caeli abstrusos possent recludere calles!
At vos digna manet toleratis gloria poenis,
Magnanimi heroes; stabit victoria laudi.
Tempus erit, cum caligans formidine nigra
Mundus adorabit divini lumina solis,
Et vos Christiadum proceres, regnique statores
Aetherei voti compos colet inclyta Roma
Assurgens vestro e cinere: hoc telluris hiatu,
Qua plebeia humili properamus funera cura,
Marmorea assurget decoratum mole sepulcrum,
Et populis stabit monumentum insigne futuris.
Talia dicebat Linus, effusisque sequuntur
Christiadae lacrymis, defletaque membra reponunt,
Ostiaque ingentis praecludunt objice saxi.

Altera nox tutos praebebat muta recessus,
Christiadae denso rêplerunt agmine cultos
Vaticani hortos. Petri mandata vocabant

Extrema; in longos iterum se exolvere fletus
Christiadae, et tumulo lectos effundere flores.
At vestes Linus induitur de more sacratas:
Olli pastores aderant Aquileius, atque
Pathenopaeus, et innumeri, sacra turba, ministri.
Dedicat hinc primam sanctis super ossibus aram,
Et sacrum facit; inde chorum conversus ad omnem:
Hic ubi sacrata requiescunt corpora in urna,
Credo equidem caelo e summo venere volentes
Ipsae animae, et nostris exultant affore sacris,
Hic jussa augusti complenda extrema parentis.
Qui rector fuerit venerabilis urbis et orbis,
Consulite. Ast uno conclamant ilicet ore:
Pontifici successor erit Linus. Horruit ipse
Clamore unanimi, et sanctissima munia constans
Detrectare. Gravis seniorum turba coercet:
Vox populi, et cleri ostendunt caelestia jussa,
Nec fas abnuere. Hic toto lux plurima caelo
Emicuit, supraque Lini caput adstitit ingens
Affusus radius, successoremque salutant
Pontificem: ipse videns caeli clarissima signa
Paruit, et populo indulgens benedixit ovanti.
Tum vaticani exiluere cacumina clivi.
Continuo trepidas vox exaudita per auras:
Ethnica Roma ruit, Christi nova Roma triumphat.

NOTÆ.

[1] *Humana ut ratio* — Scite animadverterat August. de morib. Eccl. c. 2. de vera Relig. c. 24. Naturae quidem ordo se babet, ut cum aliquid discimus, rationem praecedat auctoritas, ... auctoritas fidem flagitat, et rationi praeparat hominem. Quod revera fecerat Ecclesia. Plurimae stetere causae, cur haec contra catholicam fidem rebellio totum occidentem turbârit. Morum corruptela, in ipsa Ecclesia dissensiones, Ecclesiasticae dignitatis contemptus, et odium viam Reformationi munierunt. Principum avarities, et luxuria auxit, et praecipue vetus insitum humanis ingeniis malum, caecus amor sui. Id evenit quod Petrus Ep. II, cap. II praedixit. In vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, et eum qui emit eos, dominum negant, superinducentes sibi celerem perditionem. Et multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur, et in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur.

[2] *Oxoniis spatiis* — Doctor Oxoniensis fuit presbyter Wichleffus Anglus, acerrimi quidem ingenii vir, sed turbidus et seditiosus. Rector Paroeciae de Luterwoid in Dioecesi Lincolniensi Romanam Ecclesiam ambitioni suae obsistere cernens, eam Babylonem magnam, aut siquid pejus, et Romanum Pontificem Antichristum vocavit: mox a recta fide factus extorris plura impia dogmata suo e cerebro procudit, quibus romanae Ecclesiae doctrinam turbavit. Apoplexia periit an. 1587; sed ejus libris per nobilem quemdam Bohemum in patriam delatis, Joannes Hus, obscuro loco natus, et academiae pragensis Rector venenata illa dogmata concionibus, et calamo propagavit, quamplurimis sociis ascitis. Sed nefariae sectae antesignani Sigismundi Imp. jussu ad Constantiense Concilium vocati, et ob pertinaciam damnati extremo ignis supplicio affecti sunt. Extinctis verumtamen haereseos auctoribus, rebellionis aestus in Bohemia non exaruit, et innumeras illi regno calamitates importavit.

[3] *Germania* — Impia seditio in Germania grassabatur praecipue. Ubi imperatoriae a Roman. Pontifice dissensiones non minimum antiquam erga Romam reverentiam diminuerant; ubi quamvis Christiana Religio altissimas jecerat radices, nondum tamen ex animis nativa gentium et locorum superstitio omnino exciderat; ubi plurimi principatus, nullo communium legum vinculo conjuncti, saepe principum simultatibus inter se digladiantibus turbabantur, Christianae huic rebellioni aptior locus videbatur. Damnatis ducibus, error latius manavit; quod (Pallav. Hist. Conc. Trid. 1, 1, verbis utar) in contagiis usuvenit, in quibus aliquoties incuria sordidi panniculi cremandi efficit, ut post aliquod tempus pestilentia saevior ex improviso repullulet.

[4] *Tres furias* — Martinus Lutherus Islebii in Saxonia natus, et Erfordiae litteris ad humanitatem informatus, in Wittembergensi Academia philo-

sophiam docuit, et magisterii lauream in sacra Theologia meruit. An. 1517, cum Albertus Brandeburgicus Archiepiscopus Moguntinus, Indulgentiarum quas Leo X pro extruenda vaticana basilica concesserat, promulgationem non Augustinianensi, uti solebat, sed Praedicatorum ordini commisisset, effraenata superbia et invidia aestuans contra Indulgentias insurrexit, easque primum turpis quaestus et avaritiae crimine insimulavit, mox rem ipsam oppugnare ausus errores erroribus cumulavit. Quamvis ab eo oblatas theses Parisiensis, Coloniensis et Lovaniensis academiae proscripserint, et Leo ipse damnaverit, in totam catholicam Ecclesiam novos procudit errores; et Castro Watburgensi, prope Alstadium, ubi 10 menses delituit, totius novae doctrinae ordinem seriemque animo concepit. Solam fidei regulam statuit scripturam, suo cujusque ingenio explicandam, quam plurimis in locis corruptam, et adulteratam esse ait, perque summam impudentiam Pontificum, Conciliorum, patrum, totiusqne Ecclesiae auctoritatem rejecit. Propagatis per universam Germaniam erroribus Ferdinandus Caroli Regis frater, Hungariae et Bohemiae Rex conventum Spirae an. 1529 habendum curavit, in eoque decretum pro avita Religione edidit. Luthero studentes principes intercesserunt, palamque protestati se illi parere non posse, *Protestantium* nomen universae factioni fecerunt. *Ulricus Zwinglius* in Helvetia natus Tigurinae Ecclesiae parochus fuit, ibique per privata primum colloquia conceptam haereseos pestem efflavit; mox animis ad novitatem comparatis, Senatui persuasit, ut Indicto conventu de religione disputaretur. Ubi Catholicis frustra pro Orthodoxa fide decertantibus, primum Tigurini omnes, mox Bernates, Constantienses, et Schafhusiani accesserunt, qui omnes inito foedere contra Catholicos Helvetiorum pagos arma moverunt, ubi heterodoxi fusi caesique sunt, interque eos ipse cecidit Zwinglius. Sacramentariorum ipse antesignanus fuit; sed plura cum Luthero habuit communia. Tertius factionis dux habitus *Joannes Calvinus* Novioduni in Picardia natus, qui humaniores litteras, et Philosophiam Lutetiae didicit, et Juris prudentiae studia Aureliani inchoata, Biturigibus confecit. Lutetiae sua dogmata propagare coepit, mox per Germaniam cum Lutheranis ea contulit. In Gallia cum nocturnos congressus agere coepisset, exulare cogitur, Hispaniam et Italiam peragravit, sed Inquisitionis metu depulsus Genevam adiit, ubi variis tentatis certaminibus sua factio superior evasit, et in ea urbe tantam nactus est auctoritatem, ut etiam leges praescriberet, et cuncta pro arbitrio moderaretur. Sed Calviniani crevere praecipue in Galliis; et 40 annorum spatio a regibus exagitati, seditionibus, tumultibus ac civilibus bellis Hugonotorum nomine eas regiones perturbarunt — *Et populi et reges*. Lutherana errorum pestis Saxoniam, Daniam, Norvegiam, et Sveciam infecit, plurimosque viros principes. E quibus Philippus Landgravius Hassiae se ceteris omnibus animosiorem sectae patronum praestitit, polygamiam, christiano orbe fremente, defendens.

[5] *Nomen honestum* — Quae libertas isthaec fuerit, factionis antesigna-

nus suo exemplo ostendit; conculcatis enim monasticae vitae votis, Catharinam Boraeam Sanctimonialem sacrilego sibi conjugio copulavit, tresque ex ea liberos suscepit.

[6] *Pandit*— Carolos Imperator quamvis diuturna bella, nec semper justa gesserit, cum, Roma militum direptioni permissa, ipsum Pontificem captivum detinuerit; de re catholica in primis benemeruisse nemo inficiari potest. Ad Vormatientia comitia Lutherum arcessit, ubi Haeresiarcha novum anathema retulit; contra Lutheranos bellum gessit, et feliciter confecit, quamvis partae in eo gloriae labem asperserit edicto illo *Interim* vocato, a. 1548. quo plura Lutheranis indulgebantur. Expeditionem Tunetanam suscepit, et ferocissimi piratae, qui universo Interno Mari terrorem injiciebat, impetus refregit, viginti duo millia Christianorum, qui catenis onusti ingemiscebant, liberavit; et othomanam audaciam apud Algerium compressisset, nisi obortae tempestatates totam classem disjecissent.

[7] *Nec meritum omnipotens* — Carolus a. 1555 comitiis Bruxellis habitis Hispaniae regnum transtulit in filium Philippum II, et sequenti anno abdicato in fratrem suum Ferdinandum Austriacum imperio, in Monasterium S. Iusti in Extremadura concessit, ubi duobus post annis ex hac vita migravit.

[8] *Pamplonae* — Ignatius in Castro Loyola in Cantabria nobilibus parentibus natus, ex accepto vulnere in Pampelonensi propugnatione decumbens, abdicatis humanarum rerum curis, ad divina se totum convertit: *Societatis Jesu* nomine praeclarissimum ordinem condidit, quem an. 1540 Paulus III approbavit — *Xaverius*. Peculiaris profecto laus Francisco Xaverio e societate Jesu debetur, qui tota India maritima peragrata, in extremas Japoniae plagas Christi fidem primus intulit; atque in Sinense imperium progrediendi consilia agitabat, cum in Sinarum aditu suis pro Ecclesia laboribus finem imposuit. Sed Mathaeus Riccius ejusdem societatis christianam religionem tantis auxit incrementis, ut non pauci provinciae praefecti, ejurata antiquae gentis superstitione, christianam fidem amplecterentur.

[9] *Thienaeum* — Divus Cajetanus Thienaeus Vincentiae natus, ordinem clericorum regularium condidit, cujus regimen cum Joannes Carafa Episcopus Theatinus suscepisset, Theatinorum nomen toti ordini inhaesit.

[10] *Somaschum—Hieronymus* Aemilianus, qui Castro Novo ad Quarum ubi miles venetus merebat, ab hostibus captus, et in vincula conjectus, mundo nuntium misit, Somascham inter Mediolanum et Bergomum se contulit, ibique cum sociis an. 1530 prima jecit novae congregationis fundamenta, cui etiam a Somascha nomen.

[11] *Juvenem* — *Joannes de Deo* in oppido Montis Majoris in Lusitania humili loco natus, qui a gregum custodia abductus, pauperum aegrotorum ministerio se totum mancipavit, in Granatensi valetudinario, et ordinem fratrum hospitalitatis infirmis inservientium instituit.

[12] *Nerius* — *Philippus Nerius* florentinus, qui Congregationem Patrum

oratorii instituit, et raro inter ordinum institutores exemplo, alumnos suos votis obstrictos noluit, uno sperans divinae caritatis ardore, ad obeunda Congregationis munia esse incendendos.

[13] *Camille* — *Camillus de Lellis* in Aprutio honesto loco natus. Ut foedo ulceri, quo diu laborabat, mederetur, Romam in Incurabilium valetudinarium se contulit, cujus commissa ei fuit procuratio. Inde sodalitium instituit, cujus socios, quarto voto infirmis etiam peste infectis ministrandi obstrictos voluit.

[14] *Lux extrema Granatae* — Ferdinando et Isabella regibus, Aragonia et Castella in unum regnum coaluere. Eorum virtute Granatensi bello perfecto, Maurorum imperium, quod iis in locis 800 fere annos perduraverat, radicitus evulsum est. In Lusitania Joannes I pietate et bellica virtute etiam inclaruit, qui, traductis in Africam copiis, Septam Mauritaniae Tingitanae munitissimam urbem expugnavit.

[15] *Rhodos*—Solimanus II, capta Rhodo, 1522, copias in Hungariam duxit. Buda, Hungariae principe urbe, omni praesidio destituta facile potitus est, et contra Vindebonam exercitum duxit, sed propugnatorum virtute repulsus obsidionem solvere coactus est. Verum filius Selimus II ei subrogatus, cum internum mare sua classe perterrefaceret, foedus contra Turcas inter Pium V P. M. et Philippum Hispaniae regem et senatum venetum initum est, qui omnes, ingenti classe comparata, commissoque belli imperio Joanni Austriaco, Caroli V filio, nonis octobris an 1572 ingentem victoriam ad Naupactum, prope Echinadas insulas, retulerunt, qua universa fere hostium classis in potestatem venit Christianorum. Deiparae Virgini acceptam gloriam referens Pius, commemorationem instituit S. Mariae de Victoria nonis octobribus recolendam, quo die Turcae profligati sunt, ejusdemque Virginis litaniis additum: *Auxilium Christianorum, ora pro nobis*—Sed an. 1693, cum Turcae iterum validissimis copiis Vindobonam obsedissent, Leopoldo imperatore, Joannis Sobieschi Poloniae regis et Caroli Lotharingiae ducis virtute Turcis in fugam versis, soluta est obsidio : et anno insequenti, Leopoldus Rex Poloniae et Veneti, inito inter se foedere, Turcas diversis in locis devicerunt, et plura munitissima oppida recuperârunt.

[16] *Juvenis* — Christophorus Columbus Genuensis, qui post longam et asperam navigationem novum orbem detexit, Ferdinandi et Isabellae Hispanorum felicibus auspiciis : neque multo post sub Alphonso et Emmanuele Lusitanis regibus detectae in Aethiopia occidua plures regiones, et tentata Orientalis Indiae pervestigatione Malaca et Molacae Lusitano imperio adjectae, et Brasilia in America occupata. A misso Americo Vespucio Florentino, Americae nomen factum; et exinde per cunctas illas regiones Christiana Religio propagari coepta.

[17] *Tridentum* — Ut Lutheri, Calvini, ceterisque Novatoribus occurreretur, Concilium oecumenicum celebrari coeptum est, idib. decem. 1545, Ca-

rolo X imperante. Paulus III indixit: Julii III, ac Pii IV cura absolutum an. 1563. Primum Mantuae, deinde Vincentiae, tum Bononiae, sed Tridenti Major sessionum pars habita, unde nomen habuit. *Lysiadae*. Sebastianus Lusitaniae rex, omnium primus, summa observantia Concilii decreta excepit, eaque populis sibi subjectis sarta tecta servanda jussit. Philippus II Rex primum nonnihil obstitit, tum in Hispania, Neapoli, et Sicilia promulganda, et servanda curavit. Carolus IX Galliae Rex a Concilii promulgatione aliquandiu declinavit; sed Gallicani praesules, primum Conciliis variis, mox Generalibus Comitiis an. 1615 Tridentini doctrinam excepere.

[18] *Helvetiae* — Vide supra *Tres furias*. *Aulica nequities*. Hernicus VIII Angliae Rex, qui *defensoris fidei* nomem antea obtinuerat libro edito de 7 Sacramentis contra Lutherum, Catharinam Aragoniam, Ferdinandi Hispaniarum Regis filiam, Artari fratris sui uxorem duxerat. At deinde Annae Bolenae impotenti amore captus, ut conjugium cum legitima uxore Catharina irritum redderetur, a R. Pontifice petiit. Pontifex Romae causam cognoscendam suscepit, utque resipiscendi tempus regi daretur, sententiam ad triennium distulit: quo elapso, cum nulla ad bonam frugem revocandi spes affulgeret, anathemati eum addixit, nisi intra mensem pellicem rejiceret, et Catharinam reciperet. Videsis Anglicani schismatis originem in effraenata regis libidine, in despecta matrimonii religione, in pontificiae auctoritatis contemptu. Henricus omnem cum Rom. Ecclesia communionem abrupit, omnesque suae ditionis Ecclesiasticos jurejurando adegit, ut se Ecclesiae caput a Christo proximum cognoscerent.

[19] *Romam confluere* — XVII saeculo, Pontifex Gregorius XV Congregationem Cardinalium instituit de *propaganda fide*, sed Collegium a fundamentis excitavit Urbanus VIII ejus successor.

[20] *Sinensibus* — Clementis XII Pontificis studio Collegium Neapoli conditum est, quo Sinenses et Indi adolescentes recepti, ad litteras, et christianae religionis praecepta instituerentur.

[21] *Triginta* — Triginta annorum bellum in Germania pugnatum est. Demum tres catholicae potestates Austria, Gallia, et Bavaria foedus componunt. Dum Svetia paret, Dania e bello recessit, Borussia et Russia nullo adhuc nomine habentur, Anglia intestinis procellis discerpitur, Hispania a foederatis abest, Principes protestantes omnes victi sunt; Catholicae semetipsas objugularunt nationes, tenaci quadam et malemorata suae gentis superbia, ut omnibus palam fieret specie quidem pro Religione sed re vera pro sua quamque utilitate depugnâsse. Belli sumptus solvit Religio. Jure Innocentius X e pontificali cathedra suas querimonias extulit, et iniquissimum foedus, Constitutione lata, reprobavit.

[22] *Westphalia* — Haesburgi in Westphalia pax confecta, qua haereticis liber suae religionis cultus permissus, et plura Ecclesiasticorum bona illis in fundum collata.

[23] *Ceu Dea* — Teterrima nefariorum librorum pestis hoc saeculo grassari coepit. Profligatissimum hominum genus in eo curas et labores intenderunt, ut christianae Religionis fundamenta penitus convellerent. Si Petrus Bayle cuncta et certiora quaeque et explorata in dubitationem adduxit, universa veritatis, et virtutis re profligata, Voltaerius, Dalembertius, Diderotus, et Fridericus Borussiae Rex, communicato inter se consilio, Crhistianam Religionem labefactandam susceperunt. Quin etiam Gallicae factionis Antesignani collata suae quisque impietatis symbola, Encyclopaediae nomine, dictionarium omnium scientiarum et artium et errorum concinnârunt, quod vere humanae doctrinae promptuarium foret, Religiosis quibusque principiis ejuratis. Huccine ratio devenit, quae Evangelii loco auctoritatem suam suffecit. A. 1793 divinus ei cultus publice institutus, ejusque Deae loco, proh pudor! mulier praelata — *Gallia luxu.* Christianae ethices praecepta, lasciviori cultu inducto, a veteri curriculo deflexisse hoc saeculo, satis indicant quinque propositiones Cornelii Jansenii Yprensis damnatae ab Urbano VIII, et Clemente IX, et turbae Molinianis erroribus excitatae. Novitatibus statim occurrit Ecclesia; Ipsa doctrinam de Divinae Gratiae Oeconomia et virtute, deque infinito satisfactionis vinculo explicavit, damnata Molinosianae Mystices doctrina; veram animae perfectionem ac germanam pietatem a mendaci et fucata devotionis specie discrevit; christianam perfectionem intimo nexu cum exterioribus pietatis officiis copulandam sanxit; novum peccati philosophici commentum, Casistarum ineptas cavillationes e medio sustulit. Evangelio sublato, evangelicae veritates et virtutes paullatim eversae. Hinc Cornelius M. Antonius de Dominis, qui in *Rep. Eccles.* Romani Pontificis primatum unius tantum honoris praestantia contineri docuit: praeterea Orthodoxam fidem ex Romana, Lutherana, Calviniana, et Anabaptistica conficeri posse commentus est. Sed omnem prorsus religionem everterunt Benedictus de Spinoza, et Lucilius Vanini, qui athei audierunt; ille enim ipsius Dei naturam attentavit, unam substantiam ubique diffusam somnians, et nullum religionum discrimen inesse blaterans; hic theologiae, medicinae et astrologiae judiciariae insanias sectatus Deum omnino e mundo sustulit. Sed Cromvelliana tempestate, cum in Anglia de sacris rebus disputandi effraenis grassaretur licentia, Thomas Obbesius Malmesburiensis et Joannes Tolandus Hibernus atheismum latius propagârunt. Quae XVII infausta sevit semina, XVIII saeculum pestiferis omnigenae iniquitatis fructibus coalita pessimo pubblico collegit.

[24] *A Paulo* — Congregationem Presbyterorum Missionis instituit *S. Vincentius a Paulo.* Qui procul ab Aquis Tarbellis in Aquitania humili loco natus pauperibus praesertim agricolis consuluit. Mox Societates Puellarum charitatis condidit, et sodalitia ad sequioris sexus educationem instituit. Nullum denique calamitatum genus fuit, cui collatis undequaque subsidiis non opitulari quaesierit.

[25] *Dextra eadem* — An. 1789, rege Galliae Ludovico XVI, teterrima in Gallia erupit seditio, qua perditissimum hominum genus maxime virulento in Catholicam religionem odio divina omnia, et humana miscuit; Optimos quosque vel pietatis, vel civilis et Ecclesiasticae dignitatis amplitudine spectatissimos exilio, aut extremo supplicio affecit, et demum execrando facinore ipsum regem, ejusque conjugem morte multavit.

[26] *In unam Italiam* — Post constitutas varii Regiminis formas, Galli rerum summam ad Neapoleonem Bonapartium retulerunt, qui universam Italiam copiis occupavit.

[27] *A pietate ferent* — Pius VI e VII difficillimis temporibus nati. Josepho II imperante, cum importunae novitates pacatam Ecclesiasticae disciplinae formam perturbassent, Pius VI Vindobonam ad Imperatorem iter instituit, ibique summa prudentia et dexteritate, cuncta composuit. Galliarum praesules ad fortitudinem instruxit; eos, qui tyrannidem occuparunt, qua monendo, qua exhortando, qua minitando publicam tranquillitatem restituere sategit: sed maleferiata seditio ipsum Pontificem inauditis contumeliis affecit, et exercitus, superatis Alpibus, pluribusque Pontificiae ditionis urbibus occupatis, Romam irrupit; Sanctissimum Pontificem Valentiam in Delphinatu captum abduxit, ubi e longa jactatione placidissimam efflavit animam. Ejus corpus Romam translatum, et in aede vaticana honorificentissime sepultum.

[28] *Coibit* — Venetias convenerunt Cardinales, et communi suffragatione Pium VII creârunt, qui Concordato cum Gallicanae reip. gubernatoribus confecto, in Galliam arcessitus Gallorum Imperatorem Neapoleonem Bonapartium sacro oleo inunxit: sed non multis post annis, inter ceteros Italiae principes Pontificem suis etiam ditionibus spoliare ausi sunt. Erectior ille factus tot adversorum conflictatione, qua verbis, qua scriptis christianae rei, ac civilis Principatus speciem defendere non desiit, quod inique ferentes hostes Pontificem Roma abduxerunt; primum Gratianopolim, deinde Savonam perductus' demum in Galliam ire compulsus apud Fontem Bellaqueum, 18 circiter menses detentus est. Pulso Napoleone, Romam rediit.

[29] *Dum tot doctrinae* — Promissa Christi passim occurrunt in Scripturi de hac perpetuitate et perennitate. *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi : Et Regni ejus non erit finis; portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Sic August. Serm. 1. de Symb. c. 6. Ipsa est Ecclesia sancta, Ecclesia una, Ecclesia catholica contra omnes haereses pugnans: impugnari potest, expugnari tamen non potest; Haereses omnes de illa exierunt, tanquam sarmenta inutilia de vite praecisa; ipsa autem manet in matre sua, in charitate sua radice.

[30] *Ecclesia quondam* — Pontificum R. curas, ut Britannia Ecclesiae Romanae iterum restitueretur, felicissimo exitu perfectas vidimus. Dei gratia praeeunte, doctissimi quique viri proditam a majoribus doctrinae seriem

retexentes ad catholicae veritatis lucem veluti manu deducti sunt. Nobilissimas animas puduit in regia libidine foedissimum ortum Anglicae dissensionis conspicere; Deoque bene juvante, Catholica Jerarchia restituta est. an. 1850. Perstrepuerunt adversae factiones, sed Eminentissimo Viro Wiseman Westminster Archiepiscopo duce et comite, objectas difficultates superavit Ecclesia, plenisque velis apertum mare enavigans, caelestis gubernatoris promissis innixa, ad portum quamprimum pervenire confidit.

[31] *Hollandia* — Catholicam Religionem jamdiu compressam tantis locupletatam incrementis vidimus, ut Ecclesiastica Jerarchia restitui potuerit.

[32] *Suadebit Roma* — Quamvis injustis imperii vexationibus exagitatum Sacerdotium, catholicae Ecclesiae defensionem nunquam intermisit. Audivi adolescens, et legi Clementis Augusti de Droste, et Martini de Dunin pontificalem fortitudinem publicis praeconiis celebratam, ut romani cultus sanctimoniam tuerentur. Sed ab indomita illa perturbatione quae an. 1848 per universam Europen discurrit, Germanicae Ecclesiae major libertas concessa est. Valuit sanctissimorum Antistitum concordia, qui provinciali synodo Vidurzbourgi habita, eas catholicis ministris et gregibus credendi agendique rationes proposuerunt, quibus inter difficilimas temporum calamitates se suamque fidem sartam tectamque servarent. Juvit opus novi regiminis forma Borussiae constituta, quo Catholicum nomen cum protestante (id saltem concessum) pari fastigio stetit, eademque libertatis jura frui possent. Sic Germanica Ecclesia sapientissimorum Antistitum sanctimonia et fortitudine manuducta spem facit, ut brevi nobilissimas regiones diuturnis erroribus pessumdatas ad catholicam veritatem accedere videamus.

[33] *Hispania* — Teterrimum civile bellum a 1833 conflagravit, pro Regni successione. Factionum partibus inter se digladiantibus crevit corruptio, inque catholicam Ecclesiam ferox irrupit vexatio, sacra omnia perturbans, ita ut catholicas pro Hispaniensi Ecclesia preces Rom. Pontifex indixerit. Rebus bellicis paullatim compositis, an. 1851 pactis conventis, Ecclesiae pax restituta. Nunc tandem, sublato primo belli signo contra Mauros, aeternos Hispani nominis hostes, populum avitae religionis studiosissimum desertam gloriae viam resumere videmus, cumque ad justae dignitatis atque amplitudinis spem surrecturum Catholicae Ecclesiae bono quamprimum confidimus.

[34] *Pontificem inviset* — Quamvis Catharina II (1762-1796) per totum imperium Catholicum nomen extinguere quaesiisset, Paulus I et Alexander I persecutionibus abstinuerunt, quas Nicolaus I acriori immanitate resumpsit. An. 1839 tres Episcopi cum suis dioecesibus photianam rebellionem amplexi sunt, Gregorio XVI indignante et orbi universo imperatoriam saevitiem patefaciente. Demum 1845 Imperator ipse Romanum Pontificem convenit, qui lacrymans Catholicae Ecclesiae reliquias ei commendavit. Sed Alexander II, mitiori ut est ingenio, et Catholicos liberaliori benevolentia pro-

sequntus est, et Romanae Ecclesiae jura veritus pacta cum Pontifice convenit.

[35] *Sicubi Petropolis* — [36] *Violentior India.* Videsis vol. III, Not. 43.

[37] *Caelestis cernent* — In oceano sinensi, sive eoo, tribus abhinc annis, occidentis versantur classes, Anglica, Gallica et Hispanica, populosque a christiana humanitate abhorrentes perterrefaciunt. Nunc demum Sinarum metropolim Galli et Britanni ingrediuntur, et *caeleste* imperium, pacto foedere, cunctis gentibus aperiunt.

[38] *Lugduno exibunt* — Gloriosissimae institutiones *Propagationis fidei, et Sacrae Infantiae* in Gallia incoeptae, magnisque per totam Europam amplificatae incrementis.

[39] *Teutonus atque Anglus* — Detecta America, omnes nationes suam incolarum contulere symbolam. Frequentiores deduxere colonias Angli et Tentoni, suomet ingenio audaciores. Plena ibi libertate Ecclesia Catholica fungens, quotidianis incrementis florescit.

[40] *Aestiferam Lybien* — Galli, Algerio occupato, Christianam religionem in Africam inferunt.

[41] *Ecce Ligur* — Omnes profecto venerandum *Oliverium* genuensem presbyterum hic agnoscunt, qui pueros Aegyptiis foris venum expositos coëmit, eosque per Europam educandos per religiosas praesertim familias dispescitur. Nuper Neapolitanum coelum salubrius visum est, et hujusmodi puerorum collegium ad Capimontii collem apertum (*la Palma*).

[42] *Australi* — Definito Conceptionis Immaculatae dogmate, BB. Virginis auspiciis ad circumpolares regiones per sanctissimos presbyteros, praesertim Jesuitas, missio incoepta.

[43] Novissimae inventiones *strade ferrate e telegrafi elettrici.*

[44] *Salvi* — Locus, ubi Paulus capite percussus, dictus est ad Aquas Salvias, tertio ab urbe lapide. De hoc miraculo lactis, et trium fontium agiographi veteres loquuntur: imo tres fonticuli frequenti Christianorum concursu hodiedum visitantur.

[45] *Janiculum* — Petrus supplicium Crucis passus in summotate Janiculo, quae etiam pars Vaticani montis; sepultus vero fuit in ima Vaticani parte, apud quam Neronis horti erant.

FINIS

In ipso SS. Conceptionis pervigilio, 1861.

ERRATA	CORRIGE
Pag. 69 v. 29 malitia	injuria
178 v. 28 Regia in	Regia

Vol.IV. 48

COMMISSIONE ARCIVESCOVILE
per la
REVISIONE DE' LIBRI

Nihil obstat
Antonius Cercià
Censor Theologus

Imprimatur
Pro Dep.°
Leopoldus Ruggiero

